

Prohibitus

VINC. OBSOPOEVS

DE

ARTE BIBENDI

LIB. QVATVOR,


ET

ARTE JOCANDI

LIB. QVATVOR,

Accedunt

Artis AMANDI, DANSANDI Practica;
item MERETRICVM Fides:
aliaque Faceta.







LVGD. BATAV.
Ex Typographia rediviva,
CIↃ IↃ CXLVIII.

CALOR VIRI
ET
MVLIERIS.

Qui fiat, ut mulierum natura calidior sit quam virorum.

HORVS apud Macrobium dimicans cum Symmacho mulierum naturam calidiorem virili esse probat his verbis, dicens, Naturalis humor in corpore, transacta pueritate, fit durior, & ideo in pilos acuitur, Ideo tunc & pubes, & Genæ, & aliæ partes corporis vestiuntur. Sed in muliebri corpore hinc humores calore siccantur, & ideo inopia fit pilorum, & in corpore sexus hujus manet continuus splendor, & levitas. Est & hoc virilis indicium caloris, abundantia sanguinis, cujus natura fervor est. Qui ne urat corpus si insidat, crebra purgatione subtrahitur. Quis ergo dicat frigidas, quas nemo potest negare plenas caloris quia sanguinis plenæ sunt? Et cum calor semper sit generationis causa, fœminæ ideo celerius quam pueri fiunt ad generandum idoneæ, eo quod amplius calent. Nam & secundum jura publica, duodecimus annus in fœmina, & quartusdecimus in puero definiunt puberta is

ætatem. Quid mirum? videmus ne mulieres nimio frigore, mediocri veste contentas? nec ita, ut viri operimentis plurimis involutas, naturali calore præditas, contra frigus, quod aër ingerit, repugnante. Ex altera parte Symmachus retinetur, atque mulieris frigiditatem multis parasangis præcurrere calorem probare nititur, Nam quod pilis non, ut viri obsidentur fœminæ, caloris inopia efficit. Calor enim, modo absit ne Physicis fidem abnegemus, pilos creat. Vnde & Eunuchis desunt quorum naturam nullus negaverit frigidiorem viris. Sed & in corpore humano illæ partes maxime vestiuntur, quibus amplius id est caloris: Leve autem est mulierum corpus, quasi naturali frigore densetur. Comitatur enim algorem densitas, levitas densitatem. Quod vero sæpius purgantur, non multi, sed viciosi humoris indicitum est. indige est enim & crudum, quod egeritur, quasi insanum effluit, nec habet sedem, sed natura quasi noxium, & magis frigidum pellitur. Quod maxime probatur, quia mulieribus cum purgantur, etiam algere contingit. Vnde intelligitur frigidum esse, quod effluit, & ideo Vinum in corpore, non manere, quasi inopia caloris extinctum, Autor est Aristot. in Probl. Quod vero muliebre corpus ardentes viros juvabat, non erat caloris causa, sed pin-

pinguis carnis, & oleo similioris, quod non in illis ex calore contingeret. Quod cito admoventur generationi, non nimii caloris, sed infirmioris naturæ causa est, ut exilia poma celerius maturescunt &robusta serius. Et quam verum hoc sit, cognoscitur ex viris,qui longe diutius in generando perseverant, quam mulieres, in pariendo. Hæc indubitata probatio est in utroque sexu, vel frigidioris, vel calidioris naturæ. Nam vis eadem in frigidiore corpore celerius extinguitur,in calidiore diutius perseverat.Quod frigus aëris tolerabilius viri ferunt, facit hoc frigus suum. Similibus enim similia gaudent. Ideo ne corpus earum frigus horreat, facit consuetudo naturæ, quam sortitæ sunt frigidiorem.

DE EBRIETATE MVLIERVM.

Mulieres cur rarius inebrientur, Senes vero facile.



RISTOTELES in libro de Ebrietate mulieres perquam raro inebriari dicit,Senes vero crebro. Et quia ad naturam tota hæc quæstio pertinet,& plena sit rationis gemina ista

sententia, altera ex altera pendentis, proinde cum didicerimus, quod mulieres ab ebrietate defendat, & abducat, tenemus jam quid senes quoque ad hoc frequenter impellat. Quoniam quidem muliebre corpus & senile contrariam naturam sunt sortita. Nam Mulier corpore est humectissimo, quod levitas cutis & splendor ipsius satis clare edocet, docent præcipue assiduo purgationes superfluæ exonerantes corpus humore. Proinde cum vinum jam epotum in tam largum ceciderit humorem, vim suam perdit, & fit dilutius, nec sedem cerebri facile ferit, extincta ejus fortitudine. Nam muliebre corpus crebris purgationibus purgatum, pluribus foraminibus consertum est, ut pateat in meatus & præbet vias humori in egestionis exitum confluenti, atque per hæc foramina vapor vini celeriter evanescit. E contra senibus siccum corpus est, quod probat asperitas & squalor cutis, unde hæc ætas ad fletum difficilior fit, quod siccitatis argumentum est. Intra hos vinum nec patitur contrarietatem repugnantis humoris, & integra vi sua adhæret corpori arido, & mox loca tenet, quæ sapere homini ministrant, Dura quoque esse senum corpora, nulla est dubitatio, & ideo etiam ipsi meatus naturales in membris durioribus obserantur, & hausto vino exhalatio nulla contingit, sed totum ad sedem

ſedem ipſam mentis aſcendit. Hinc fit, ut & ſani ſenes malis ebriorum laborent, tremore membrorum, linguæ titubantia, loquendi abundantia, iracundiæ concitatione, quibus tam ſubjacent juvenes Ebrii, quam ſenes ſobrii. Si ergo levem pertulerunt vini impulſum, non accipiunt hæc mala, ſed incitant quibus ætatis ratione jam capti ſunt. Et hæc pro hac quæſtione ſufficiunt.

AMOR CVR NVDVS.

Scire cupis careat cur veſtibus ardor amoris:
Nudus amor nulla diſſimulatur ope.
Frigora veſtitum depoſcant: ignis amoris
Nudus agit, vult & ſe ſine veſte coli.

CON-

CONTENTA.

Calor viri & mulieris.
De Ebrietate mulierum.
Amor cur nudus?
De arte Bibendi libri quatuor.
De arte Iocandi libri quatuor.
Practica artis Amandi cujus contenta post Titulum.
De arte Dansandi.
De guarra Romana.
De guarra Neapolitana.
De revolta Genuensi.
De guarra Avoniensi.
Epistola ad falsissimam meretricem pro passado le tempus ALAGRAMENTA.
Mulierum Amatores mente cæcos esse, Vergilio testante de Didone.
De Venere & Baccho.
Amorem Dei quietum, & mulierum irrequietum, longe inter se differre, in id Vergilii.
Philippi Beroaldi Cupido.
Amatorem inquietum, instabilem, & ad omnia passionatum.
De modo Epistolandi Cancellariæ Asineitatis congruo.
Confutatio in Ludimagistros literarum ignaros.
Amorem turpem odii, ETC.
Baptistæ Mantuani Ecloga.



VINCENTII OBSOPOEI DE ARTE BIBENDI

LIBER PRIMUS.



SI quis in hac artem non noverit urbe bibendi
Me legat, & lecta doctior arte bibat.
Arte laboriferi tolluntur in astra Colossi:
Arte per undisonas navita currit aquas.
Gnosius audaci quoque Dædalus arte volavit:
Nullus erit qui non vincitur arte labor.
Dulcia symposiis ne vina bibamus inepti,
Et Bromius nobis arte colendus erit.
Qui nisi præcipua, sicut decet arte colatur,
Iratum cultor sentiet esse Deum.
Sicut enim est placidus, sic intractabilis idem
Cum spreto indigne numine cultus erit.
Si bibis indocte sunt noxia vina bibenti:
Sunt bona, si docte dulcia vina bibis.
Quam sectere igitur certa est opus arte bibenti:
Qui cupis hanc nostro disce magisterio.
Usus opes monet hoc: vati parete perito:
Non fluit hic vana falsus ab arte labor.
Hanc multo bibulæ partam sudore palestræ
Artem non fictam trado juventa tibi.
Bacche pater vatum, dulcissime Bacche deorum,
Tu mea nectareo corda liquore move.



Non ego compositis hedera lauroque coronis
Cingere divinum quæro Poeta caput.
Talia grandiloqui sumant sibi præmia vates,
Qui fera sublimi carmine bella sonant.
Pampineis potius cingas mea tempora sertis:
Nam Bacchi vatem bacchica serta decent.
Fac felix plenis spumet vindemia labris:
Impleat ut magnum qualibet uva cadum.
Proveniant largo genialia gaudia fructu,
Horreat ut messes vinitor ipse suas.
Non mage Pieriis crescent mea pectora flammis,
Quam mihi scribenti si nova musta dabis.
Non ego Castalias nunc postulo fervidus undas,
Non sitio Aonias ambitiosus aquas.
Arida vitifluo mea prolue guttura rore,
Si tua vis tolli carmine sacra pater.
Haud mihi mens ardet lurconum scribere turba,
Nocte dieque tuas quæ male perdit opes.
Symposium licitum, concessaque vina canemus,
Non erit in nostro carmine lurco bibax:
Non turpis comedo, non ebrietate frequenti
Infames, penitus gens odiosa tibi.
Qui neque sunt factis, neque fronte, vel ore pudici,
Omnem qui superant sorbitione modum,
Quêis nihil est pêsti, quêis spernitur omnis honestas,
Hos ego submoveo prorsus ab arte mea.
Quos bene non homines, sed fœdos judico porcos,
Et si quid porcis fœdius esse potest.
His mea plectra sonant ratio quos tangit honesti,
Et quos ducit honos, & bona fama movet:
Cum quibus audebunt matres potare pudicæ,
Castaque non læsa virgo pudicitia.
Et ne longa brevem vincant exorsa libellum,
Hinc meus à primo carcere currat equus.
Principio triplici bibimus ratione modoque,
Scilicet aut nostra pocula sola domi,

Aut

Aut aliquos nobis sorbendo ad vina sodales
Iungimus, egressi quolibet ante foras.
Sive frequentantes convivia publica læti
Cum populo bibimus conveniente merum:
Sæpe à cognatis, à sæpe vocamur amicis,
Ad sua nos sponsus gaudia sæpe vocat.
His ut inoffense mensis data vina bibamus,
Hæc tria materies carminis hujus erit.
Iam quicunque cupis vino genialiter uti,
Et vis jucunde vivere, vive domi.
Fertur amica domus, fertur domus optima: nusquã
Vivere commodius liberiusque potes.
Præcipue tibi si fuerit dilecta jugali
Legitime conjunx associata toro.
Hac præsente domi Lenæi fer sacra Lyæo,
Hæc erit una satis dulce sodalitium.
Quos potes uxori fidæ præferre sodales?
Quos illi fratres præposuisse velis?
Fidior est sociis, est fratre fidelior uxor,
Et matris vincit candida nupta fidem.
Rara fides sociis: semper fidissima conjunx,
Cujus in audebis fundere quæque sinum.
Sollicitis tecum consumitur anxia curis,
Sustinet hæc totam sedulitate domum.
Illa tibi paribus curis respondet, & æquat
Illa tui flammas cordis amore pari.
Hæc studiosa tibi servit dominoque viroque,
Te colit atque fovet pectore, mente, sinu.
Exhilarat tristem, pressum levat illa dolore,
Semper in æquali parte laboris adest.
Delectat casto Veneris te munere, crebro
Prole nova lætum te facit esse patrem.
Cuncta domi audebis: dominaris in ædibus ipse,
Tecum, quem possis lædere, nemo bibit.
Sola meri tecum fruitur dulcedine conjunx,
Quæ nunc assuevit moribus apta tuis.

Gnara tuæ vitæque tui jam gnara ferendi.
Dictorum patiens & bene docta tuûm.
Obsequio majore tibi devincis amorem
Conjugis: hæc tecum si data vina bibit.
Plusque voluptatis cyatho decerpis ab uno,
Quam si persiccas dolia plena foris.
Non ita se vilem tibi sentiet esse marito
Charam, sed cordi funditus esse tuo.
Nec molli solum te vita rebitur uti,
Sola domi vacuos dum sitit ante focos.
Ex animo gaudere potes, ridere solutus,
Et quæ bucca feret dicere cuncta licet.
Sic non pauca domi potans vitabis acerba,
Quæ tibi potanti sunt subeunda foris.
Occultos morsus, jocularia dicta, salesque
Obliquos, linguæ scommata multa malæ.
Et derisoris sannas, nasum atque cachinnos,
Scurrilique leves garrulitate jocos:
Insuper indecores turpi certamine rixas,
Quæ surgunt causa sæpe movente levi.
Dic age te quoties ad vina aliena profectum
Pœnituit propriam deseruisse domum?
Vel cum rixantes linguis es passus amaris,
Aut alia ingenuo non bene digna viro.
His pejora domus prohibet tranquilla: bibentem
Quæ foris assiduo turbine sæpe petunt.
Venari nemo tua dicta studebit iniquis
Auribus, ut cupidis efferat illa foras.
Sæpe quod externe fit ubi temere excidit ore
Prodita per jugulum vox reditura suum.
Quam dent tuta tibi jucundaque vina penates,
Carmine perstrinxit jam mea Musa brevi.
Sed quis cuncta domus comprendere cōmoda possit?
In qua pax & amor regnat & alta quies.
Qua melior poterit, nec tutior esse receptus,
Quem tumidis ventis rara procella movet.

Cui

Cui nunc arrident soli sua tecta bibenti,
Illi quam doceo nil opus arte mea est.
Illi ego non statui formam, normamque bibendi
Condere, cui fas est vivere more suo.
Illius haud nostras venient sub pocula leges,
Sed bibat arbitrio, cum libet, ille suo.
Atque sua utatur vita ratione Magister
Et rector propria sub ditione domus.
Sed tamen hoc caveat, ne sit nimis ore procaci,
Et ne, quam deceat, liberiora sonet.
Aut quæ offendiculo teneris sint auribus, aut quæ
Prodita per famulum sint nocitura tibi.
Quot tibi sunt famuli, totidem tibi sunt inimici,
Horum atque illorum fluxa perinde fides.
Invulgant audita semel simul atque relinquunt
Non bene tractati tecta prioris heri.
Talia quo possis vitare pericula cautus
Fac studeas linguæ parcior esse tuæ.
Aut tibi servorum probitasque fidesque tuorum
Pluribus indiciis sit bene nota tibi.
Plurima sæpe domi securo effundimus ore,
Cum natat in madido lubrica lingua loco,
Quæ vulgata foras pariunt convitia, lites,
Probra, simultates, jurgia, bella, minas.
His obsistendis potandum est semper honeste,
Et sumenda tuæ vina modesta domi.
Ædibus in propriis si quis solet esse modestus,
Ille foris facili more modestus erit.
In summa, studio fuerit dominoque, patrique,
Vt sit honestatis regula iusta suis.
Et foris atque domi par est meminisse decori,
Et foris atque domi sobria vita decet.
Ordinis hæc nostri breviter sint dicta maritis,
Quos extra strepitum vina quieta iuvant.
Quæ si non leviter fuerint præcepta secuti,
Haud dubio nostra doctius arte bibent.

Perge Lyæe mero properantem impellere vatem,
Fortius hoc nunquam calcar habere potes.
Et quamvis ultro curram non segniter, illud
Vltro currenti, si sapis, adde tamen.
Tu facis ingenium, tu das in carmina vires,
Frigida cœlesti corda calore moves:
Tu melior Musis, tu major Apolline, solum
Censeo te doctis vatibus esse patrem.
Iam nova mi facies, oritur nova forma bibendi,
Cernis opus nobis viribus esse novis.
Nam prodire libet: privataque linquere tecta,
Et gustare foris pocula sumpta placet.
Progressum lepidos juvat accessisse sodales,
Multum leticiæ turba sodalis habet.
Esto, domus sit amica, domus & optima semper,
Omnibus haud tamen est uxor amica domi.
Sunt quibus est rixosa domi morosaque conjunx,
Qualis Xantippe Socratis illa fuit.
Mitius est longe cum dæmone vivere nigro,
Quam semper talem pertolerare feram.
Vivat tarda sua testudo semper in aula,
Et vetula ardentem murmuret ante focum:
Dignos luce viros custodes esse domorum
Dedecet: & conchis vilibus esse pares.
Et quis continuos queat exhaurire labores?
Quis semper studiis invigilare potest?
Laxandæ mentis curæ sunt atque dolores,
Quærendum facili mente levamen erit.
Sunt etiam fessi refovendi corporis artus,
Sunt celebranda suo tempora festa mero.
Non rubor est festa tibi luce madere Tibulle:
Nec mihi sit festa luce madere rubor.
Adde quod humanæ dedidicit munia vitæ,
Qui latet exclusis omnibus usque domi.
Et sensim brutescit iners, morosus, ineptus
Redditur, aspecta dummodo luce stupet.

Con-

Convictus hominum vitat fugitatque perosus,
Hoc unum memori semper in ore tenens.
Nemine delector, nemo est mihi gratus amicus,
Cum solo est dulcis nemine vita mihi,
Qui cupis ergo domo mecum potare relicta,
Gaudentique hilarem sumere fronte diem.
Atque misanthropi despecto more Timonis
Convictus faciles, & bona vina sequi,
Permagni referre puto culturus Iachum
Sorbendo vino cum quibus esse velis.
Quos compotores tibi, quos velis esse sodales,
Tum quibus ornatos moribus esse petas,
Esse enim haud aptos, vere liquet, omnibus omnes,
Ni sint ingenio, moribus, arte pares.
Inter dissimiles rara est concordia, crebro
Surgit ab imparili turba sodalitio.
Navita cum nautis potet: cum milite miles:
Cum pastore bibat pascere doctus oves.
Cum medico medicus: cum rura colente colonus:
Cum sutore colat pocula sutor iners.
Cum monacho monachus: cum vespillone pitisset
Polynctor blanda cum meretrice lupa.
Lictori lictor, sed scribæ scriba propinet,
Lurco lurconi, mulio mulotriba.
Auriga aurigam jungat sibi, verna sodalem
Quærat servili conditione Syrum.
Denique quisque parem quærat sum itq; bibonem,
Qui sibi, quique suis moribus aptus erit.
Haud ægre coëunt similes parilesque sodales
Natura, studiis, moribus, arte, statu.
Ne fallare tamen delectu, providus esto,
Sunt etiam similes, sæpe parum similes.
Nec semper similis similem delectat amicum,
Dissimilis si sit moribus ille suis.
Quo minus hic erres, fas est audire magistrum,
Et placida suasus condere mente meos.

Elige jucundos syncera mente sodales,
Festivos, comes, & gravitate probos,
Et pietate graves, & relligionis amantes,
Quos non ulla tenet vana superstitio.
Ore verecundos, dictis, factisque modestos,
Quos fovit casto docta Minerva sinu.
Quos Musæ, & Charites, Cyllenius, acer & arcu
Delius ornarunt munere quisque suo.
Eloquii virtute, lyra, placidisque camœnis,
Humanis animis, dulcibus ingeniis.
Doctrina varia, candore, pudore, lepore,
Afflatu facili, gratia, amore, fide.
Cecropiæ doctos linguæ, gnarosque latinæ,
Qui nova cum priscis denique multa tenent.
Quos ducit virtus, & amor contingit honesti,
Ulla nec ad vitium prava cupido trahit.
Tempore jam longo quorum probitasque fidesque
Pluribus indiciis sæpe probata patet.
Tales te nunquam cogent ad pocula, nunquam
Hi tibi ductores ebrietatis erunt.
Sed magis impense virtutum exempla bonarum
Plura sequenda tibi sobrietate dabunt.
Hæc persuasa tenens consortia prava cavebis,
Dummodo te studeas insinuare bonis.
His cum putabis convivia læta subintrans,
His cum vicina sede sedere stude.
A bona namque bonis disces, deperdere mentem
Acceleras pravæ cultor amicitiæ.
Propterea convive bonis, testaberis olim
Me bene discipulis consuluisse meis.
Talis enim semper vulgo censebere: quales
Hi, quibus adjunctis pocula sumis, erunt,
A sociis de te subsurgit opinio vulgi,
Fama perit pravo clara sodalitio.
Ergo graves tibi junge viros, tibi junge modestos,
Si famam claræ nobilitatis amas.

[illegible]a fuerit opus arte bibendi,
[illegible] honestatis te moderêre modo.
[illegible]etiam tibi si potes associare potentes,
Qua poteris proceres associare stude.
Hos tibi concilia suavi dulcedine morum,
Et facili vitæ commoditate tuæ.
Obsequio & cultu, tum prompto pronus honore,
Et quocunque potes nomine junge tibi.
His cum sæpe bibens firmos tibi jungis amicos,
Qui gravibus presso rebus adesse queunt.
Per quos divitias, per quos nacturus honores,
Magnarum rerum, cúlmina summa petes.
Qui prodesse queunt potius sectare sodales,
Vnde accrescit honos utilitasque tibi.
Hunc hominum de se non turbat opinio valde,
Qui sibi cum quovis vina colenda putat.
Cujus nulla sonant vivæ praconia laudis,
Sed latet obscuro vita sepulta loco,
Nec spectata fides, sed abit sine pondere nomen,
Nec vulgo meritis gratia nota nitet.
Vilis erit celebrans cum vilibus orgia Bacchi,
Quo te mancipium vile juvare potest?
Clarus eris claris, & magnus habebere magnis
Conversans, ideo cautior esse stude.
Primum difficiles præfractis moribus omnes
Effuge, pectoribus ferrea corda gerunt.
Stirpe sati humana non sunt, de tigride nati,
Effera quos aluit lacte leæna suo.
Sensibus humanis vacui, quibus omnia sordent,
Quorum dura tenet pectus amaricies.
Lætitiæ non sunt, non sunt genialibus apti
Symposiis, tristes & sine amore feri.
Qui tacito stomacho rabiosum pectus edentes
Omnibus oblatrant dicta molesta canes.
Cui nam quæso queat, cui nil placet, ille placere?
Et nisi quæ solus fecerit acta probat?

Tales ad Bacchi latices admittere noli,
Explicita quoties vivere fronte cupis.
Rixosos etiam caveas fugiasque sodales,
Ingenio primis haud meliore satos.
Dissona sanguineis illos discordia rixis,
Bellaque tranquilla pauci inimica iuvant.
Aptius hoc genus est, ut Martia castra sequatur,
Et gerat audaci prælia dira manu:
Læta verecundi quam quod convivia Bacchi
Conturbet rixis criminibusque suis.
Semper inhumanum, sævis est semper in armis,
Atque ferox omni commoditate caret.
His adde inflatos sublata mente Thrasones,
Invisum cunctis sacrilegumque genus.
Obstreperis atq; loquax, quo nil iactantius usquam,
Quo nihil in terris vanius esse potest.
Quos excæcavit ridenda philautia, qua se
Obstante haud unquam noscere rite queunt.
Pocula convictis redduntur acerba Thrasonum,
Quamvis nectareo vina liquore fluant;
Est vitiosa sui iactantia, multa molestæ
Ingerit, & secum tædia multa trahit,
Subsannant quosvis, ignari cedere cuiquam,
Doctos despiciunt: despiciuntque bonos:
Cumque nec ingenii virtute, nec arte politi
Emineant, omni non nisi parte rudes:
Censores veræ tamen hi virtutis iniqui
In cunctis primas rebus habere volunt.
Fabula narratur, sunt vates atque poëtæ,
Cantatur, superant vocibus Hermogenem.
De pugnis sermo est, fit mox invictus Achilles,
Et memorat nunquam prælia visa Thraso.
Artes laudantur, artes laudabit & ipse,
Ludus carminibus, versificator erit.
Denique cujuscunque rei fit mentio, semper
Hic Thraso materiam garrulitatis habet.

Præ-

Præcipue infamem qui depoſuêre cucullam,
Et profugi cellas deſeruêre ſuas.
Hos ego te jubeo ſumme vitare ſodales,
Hoc totum genus eſt, tyro novelle, nigrum,
Nigritiem veſtis poſſunt deponere, mentis
Nigrorem nulla cum ratione queunt.
Exuperant furvos animi nigredine corvos,
Exuperant atram, crede nigrore picem.
Quos aſſueta diu comitatur hypocriſis, atque
Quas fovit mendax monſtra monaſta diu.
Callida adulandi gens, prudentiſſima fraudis,
Fallere docta catos, fallere docta rudes.
Omnia blanditiis miris in pectora ſerpit,
Syncere nullum diligit atque colit.
Et quis pejores nobis dabit ardeliones?
Nomine quo ſolo monſtra cavenda reor.
Hoc tamen haud omnes volui perſtringere verſu,
Hos etiam nidos deſeruêre boni.
Sunt qui palladio nutriti lacte ſinuque
Doctrina præſtant, ingenioque valent.
Sed quia rara avis eſt quem quærimus, hiſce bibẽdo
Si poteris æqua mente carere, care.
Cœnobii redolent vitiantem pocula lernam,
Cætera celabo carmine preſſa meo.
His cum Blaſphemos, & magni numinis hoſtes,
Tartareas peſtes qua potes arte, fuge:
Qui Chriſti corpus cum ſanguine ter venerando
Spurcidica lædunt impietate truces.
Nunquam ſurrexit major blaſphemia: nunquam
Auditum eſt fando majus in orbe ſcelus.
Nulla lues adeo mortalibus obfuit unquam,
Nulla adeo terris eſt nocitura lues.
Quantum ſacrilegi terris nocuere magiſtri,
Qui ſua ne Chriſtus regna gubernet, agunt.
Quot miſeras animas nigro merſere barathro?
Dum Sacramentum corpus inane docent.

Ergo

Ergo fuge has vomicas, furiasq; facesque, luesque,
Consultum vitæ si cupis esse tuæ.
Quæris num tibi sint cum nullis vina Papistis,
Cumque cucullígero vina bibenda grege?
Si cum Iudæis, cum Turcis pocula sorbes,
Quis cum Papistis sumere vina vetat?
Plus ferè amicitiæ, candoris plus & amoris,
Plus reperi officii, plus & amoris ego
Sæpe penes aliquem civili mente Papistam,
Quam penes innumeros ore subinde pios.
Si non blasphemi fuerint potando Papistæ,
Cum non cur illis vina jocosa colam?
Insuper & fidos nusquam bibat inter amicos
Rimarum qui ceu Parmeno plenus erit.
Libera potarum qui dicta eliminat, & qui
Futilis atque loquax nil reticere potest.
Nobiscum sorbere volens sit Pythagoræus,
Audiat, auditum mutus Amycla tegat.
Adde quibus studio est alienam carpere famam,
Nomen & absentem rodere more canis.
Candida probrosa carent tua pocula lingua,
Quod bibis alterius sit sine labe merum.
Pectoris impuri certissimus ille character,
Et pravæ mentis dicitur esse nota.
Vicini nevos maculasque referre libenter,
Ejus & illoto volvere in ore decus,
Limina quam nigri censes fugienda barathri,
Tam tibi vitandas hos quoque rere viros
Quorum vox non est cum pectore consona, quorum
Læva manus panem, dextera fert lapidem.
Assentatores blandos, simul atque bilingues,
Vulpinos, duplices, ambiguosque puto.
Adde locutores mendacia vana vomentes,
Immodica cunctos garrulitate necant.
Est aliena etiam pars concedenda loquelæ,
Inque vicem sermo suscipiendus erit.

Nec

Nec quadruvlator ſiccabit pocula tecum,
Non vitiligator, non ſycophanta malus:
Et ſi quos alios vitiis minimeque ferendis
Criminibus turpes noveris eſſe, cave.
Qui tibi ſectandi ſunt, vitandique ſodales,
Diximus: hos memori mente animoque tene.
Quod ſupereſt ſtudeas, tibi quos adjungere geſtis,
His ut perſimilis moribus eſſe velis.
Compoſita vita, virtutibus, integritate,
Candore ingenii, ſimplicitate, fide,
Atque ornamentis aliis probitatis honeſtæ,
Si potare cupis non ſine laude merum.
Turpe foret, ſi tu cuperes virtute ſodales
Eximios, vitiis omnibus ipſe ſcatens.
Sic itaque inſtructus convivia læta frequenta,
Totus agens id quod poſtulat ille locus.
Poſtulat ille locus tetricos haud fronte Catones,
Nec Curios torvo, crede ſupercilio.
Nec ficta ſophiæ querulos rigidoſque magiſtros,
Nec ficta triſtes relligione Numas.
Non fert rigentes: non fert à funere mœſtos
Ille locus: nec quos ſollicitudo premit.
Aut dolor occultus, ſeu cæco vulnere cura,
Sive malum tacita quod grave mente latet.
Vult hilares, comes, jucundos atque lubentes,
Vrbanos, faciles, libera corda metu.
Accedas igitur convivia fronte ſerena,
Oſtendes vultu nubil' nulla tuo.
Si qua latens mœſtum forſan te cura remordet,
Protinus in primo limine pone crucem,
Aut illam ſumpto quam primum pelle Lyæo,
Certior eſt curis nulla medela mero.
Diſcuſſis illis reuitentem exporrige frontem,
Non bene cum lætis triſtia corda ſedent.
Non bene cum ſiccis ſedet ebrius, nec bene ſiccus
Cum madidis inter pocula plena ſedet.

Ad

Ad vultus alios debes effingere vultum,
Et facere, id quod lex præcipit illa vetus,
Ne tua symposium latum frons turbida turbet,
Sed sit depulsa nube serena tibi.
Exhibeas temet dictis factisque modestum,
Hæc te potantem regula prima decet.
Sis comis, facilis, placidus, jucundus, amœnus,
Obsequio, & morum commoditate placens.
Non quod palponis jubeam te munus obire,
Non petit hanc à te candida turba vitem.
Sed studiis jubeo te subservire bibentum,
Vt quæcunque placent his, placeantque tibi:
Non aliud studium, non oblectatio per te
Quæsita invitos cogat iniqua sequi.
Ipse sequens illos turbæ te dede sodali,
Sic adversantis damna cavere potes.
Nulli te, quanquam melior, præponere certes,
Si non convivis vis odio esse tuis:
Sic tuus invidia reperit sine culte Terenti
Et laudem & socios Pamphilus ille pares.
Seria de rebus si disceptatio surgit,
Ipse tuæ mentis non velis esse tenax.
Stultitia est ingens præfactum pectus habere,
Qui sapit haud graviter cesserit ille bonis.
Tu tamen apposito jam vini nectare, nulla
Seria convivis discutienda refer.
Cui sapere est animus, quærat jejuna sophorum
Tecta, ubi sit nimio sobrius ore loquax.
Bacchus non nimium quærit sapientia verba,
Quæ tradit miseris Stoica secta scholis.
Est operæ precium semper meminisse decori,
Et nosse exacte quid loca quæque decet.
Quandocunque sophi stolide inter pocula certant,
Tunc ego me miserum morte perisse velim.
Symposiis nullos studeas inferre libellos,
Hic ubi potandum est seria nulla legas:

Est præsente mero sapere ostentatio vana,
Si sapis, & locus hic quæ cupit, illa sape.
Aut te omnem dicam semel amisisse saporem,
Pre nugis sapiunt, cui bona vina nihil.
Noli os lede procax sorbenti pocula tecum:
Delectare jocis: sint sine dente joci.
Si cupis urbanus, si vis festivus haberi,
Et gaudes salibus, sint sine felle sales.
Innocuo innocuus profer sermone lepores,
Fac tua non ullum scommata falsa petant.
Argutum dictum, veterem quam perdere amicum
Malis, quid scurra vanius esse potest?
Improba qui petulans dicteria jactat in omnes,
Perfricta nescit fronte pudere magis.
Propterea nunquam scurrilibus utere dictis,
Sæpius his magnus dissociatur amor.
Nam si forte petes aliquem, petet ille vicissim
Teque pari faciet scommate ridiculum.
Hinc ira, hinc odium, hinc veteres perdűtur amici,
Res opibus cunctis anteferenda Mida.
Plurima materies urbanis ludere dictis
Quærenti, quibus & gratia major inest,
Et nihil offensæ: Quid enim quando unus & alter
Riserit, & tactus scommate corde dolet?
Sunt lepidæ historiæ, sunt dulcia carmina vatum,
Hæc in symposiis tum recitanda puta.
Hinc tibi sume sales, studeas hinc salsus haberi,
Unde potest læsum se, puto, nemo queri.
Ille hinc depromptum, sicut Ledæa falerno
Nepenthes, miseræ pharmaca tristitiæ.
Qui volet urbanis festive ludere dictis,
Cecropio decet hunc permaduisse sale.
Hoc si non fuerit tua crassa Minerva salita,
Majori poteris laude silere bibens.
Promptius haud alio stolida vecordia mentis
Proditur, ac linguæ garrulitate levi.

Pluri-

Pluribus est sapientiæ opinio parta tacendo,
Hanc amiserunt futilitate sua.
Hæc dum vitâris habita ratione decori,
Nil fœdum dictu prodat ab ore tuo.
Turpia verba procax, obscœnaque nomina vita,
Noxia quæ teneris auribus esse solent.
Circumstant teneva juvenes ætate ministri,
His offendiculo cur velis esse libens?
Autor ludendi nolim tuus esse libenter,
Dissolvit multas ludus amicitias.
Ira subit, deforme malum, lucrique cupido,
Hæc facit ut cupiam vincere posse patrem.
Pocula grata mihi sunt nusquam ubi luditur, atq;
Semper ubi fallax tessera jacta strepit.
Alea apud veteres habita est infamis, apud nos
Vna sacerdotum gloria, cura, labor,
Gymnasium, studium, libri noctesque diesque,
Volvere continua quos didicêre manu.
Quem facit invisum derisa ciconia ludum,
Hic tibi cum primis arte cavendus erit.
Excitat hic sannas præcordia sæpe moventes.
Pluraque quæ minime vina quieta decent.
Sæpe graves peccant illo pueriliter, & se
Turpiter ostendunt, quos capit inde rubor.
Non quivis patiens est risus atque cachinni,
Hic præter risum quid rogo ludus habet?
Porro ubi sympositum trahitur prolixius æquo,
Pugnaque ab alterno surgit oborta mero,
Lude, supervacui quo vites pocula vini,
Et si nulla feres præmia, lude tamen.
Præstat jacturam modici fecisse peculi,
Quam tua damnosis membra gravasse cadis.
Materiam risus fugiens ludibria nullum
Fac facias, quemvis sed reverenter habe.
Semper inoffenso sunt vina bibenda sodale,
Nulli tu prorsus sic odiosus eris.

Ridi-

Ridiculos gestus, pedores atque cachinnos
Indecores, ructus, cuncta pudenda fuge.
Succidus haud esto sputator, sive screator,
Ne fias socii nausea fœda tuis.
Si quis & ad cantum te provocat, atque rogabit
Exhilares cantu dulcia vina tuo,
Ne sis difficilis, cantorum more, rogatus,
Sed cane, si præsto Musica turba, libens.
Nec tibi sit potior ludus, post musica Bacchum
Sola in symposiis debet habere locum.
Musica lætificat mœrentia pectora cantu,
Cum Bromio compar Musica numen habet.
Nectare lugentes Evan, hæc carmine mœsta
Mente melancholicos excitat atque juvat:
Ille calore replet, movet hæc præcordia, & intrat
Cum vino harmoniæ viscera tota sonus.
Ingentem dulci jungit sibi crimine laudem,
Fundere qui doctum novit ab ore melos.
Phemius exemplo est magni cytharœdus Homeri,
Dum canit ingratis carmina culta procis.
Solus hic effugit fatum crudele, manusque
Dulichias, placida nobilis arte lyra.
Et, quem demirans coluit Phæatia tellus,
Demodocus, regis gloria magna sui.
Personat aurata cithara crinitus Iopas,
Demulcens Tyrios Æneadasque vagos.
Istorum est tibi laus laudes imitanda sequenti,
Pulset Apollineam doctus ab arte lyram.
Alter dulcisonas percurrat pollice chordas.
Quas cava testudo, sic modo fertur, habet.
Fistula nec desit veteres quæ dicat amores,
Et rude sylvestris carmen avena sonet.
Cuncta venustatis delectamenta libenter
Exhibeas, tibi quæ Musa benigna dedit.
Hæc præceptorum breviter sit summa meorum,
Quam dat amatori Naso poëta suo.

Si vox

Si vox est, canta, si mollia brachia, salta,
Et quacunque potes, dote placere, place.
Vt tamen & finem noris imponere cantu
Est opus, haud omnes Musica quando juvat.
Ne, sicut faciunt cantores, ipse boatu
Perpetuo obtundas arida labra siti.
Est saties somni' choreæ, cantus, amoris,
Tædia sunt nimio nulla movenda modo.
Esto propinator comis, sine lite vicissim
Ipse propinanti pocula redde vicem.
Quod nimium est blande civiliter ore recusa,
Si sapit, urgebit te magis ille nihil.
Durius invito cyathos obtrudere noli.
Non sapiunt stomacho vina coacta meo.
Æque est grande scelus nolentem cogere, quam si
Pellitur à gelida cum sitibundus aqua.
Vino junguntur, vino solvuntur amici,
Nemo tuo iussu vina coacta bibat.
Quod satis est pota, modus est retinendus ubique,
Omnia finito sunt cohibenda modo.
Et quod amatorem docuit modo Naso citatus,
Illud idem memori condere mente velis.
Certa tibi à nobis dabitur mensura bibendi,
Officium præstent mensque pedesque suum.
Non ita te rigida potantem lege tenebo,
Vt mox peccantem plectere morte velim:
Raro contingens noxa excusabilis esto,
Carpitur ebrietas quotidiana mihi.
Nonnunquam est nobis autore Platone bibendum,
Nec vitium ebrietas qualibet esse potest.
Temporibus festis juvat indulgere falerno
Largius, inque tuis sancte Lyæe sacris.
Talia tu nobis cœlestia dona dedisti,
Talia sunt aris dona ferenda tuis.
Hospitibus liceat vino præsentibus uti
Fusius, & vita liberiore frui.

Sidonius Bitias pleno se proluit auro
Impiger, hunc procerum turba sequuta fuit.
Ingeminant plausum Tyrii Troesque sequuntur,
Cur ego non plaudam quis prohibere velit.
Maximus Æacides vinum esse meratius optat,
Legatos castris cum tenet ille suis.
Maioremque iubet cratera reponere mensis,
Et convivarum pocula cuique sua.
A vino sumpsit placandi exordia Vlysses,
Haud melius potuit sumere principium,
Et persuasisset, bene si potasset Achilles,
Non fuit Æacidæ potio larga satis.
Magnanime Æacida heroum fortissime salve,
Hæc bene subiunxit, cætera verba male.
Haud equidem dapibus mensæ genialis egemus,
Nullius Argivi plus eguistis ope.
Sic Danais properata fuit facundia damno,
Longius ô stolidi Bacchus amandus erat.
Est locus & tempus minime damnantia vinum
Flumine quod forsan uberiore fluit.
Multa quoque excusat precium virtusq; bibentum,
Quare cum magnis pocula carpe crebro.
Sed tamen ipse stude semper meminisse decori,
Ne, quod non deceat, potor ineptus agas.
Vive bibens sicut properato carmine dixi,
Non haurire merum, perdere, culpa, merum est.
Sunt fines rerum, certa est quoque meta bibendi,
Si sapis hanc nunquam transgrediêre sciens.
Ne ratio multo submersa vel obruta vino,
Fluctuet in mediis naufraga facta cadis.
Aut nulla ebrietas, aut tanta sit, ut tibi curas
Eripiat, si qua est inter utrumque nocet.
Hac ipsa Liber de causa est dictus Iachus,
Mœsta quod à curis libera corda facit.
Quæ dixi lepidos inter servanda sodales:
Hæc tibi cum sponso sunt retinenda magis:

Ne

Ne quando ad tædas genialia festa jugales
Non bene compositus tyro vocatus eas.
Et victus vino petulanter plurima pecces,
Et risus fias omnibus ipse levis:
Et sic contemptum incurras odiumque bonorum,
Quod tibi vix adimat denique vita sequens.
Major honestatis ratio, modestia major,
Et pudor hic major semper habendus erit.
Estque verecundo tibi castius ore loquendum,
Propter matronas virgineumque decus:
Propter convivas senio & gravitate verendos,
Qui mores, gestus, & tua verba notant.
Ergo cœnanti civiliter atque bibenti
Præcipue ebrietas est fugienda tibi.
Ebrietas nulla nobis ratione probatur,
Sola juventutem sobria vita decet.
Proximus illius monstrat simulachra libellus,
Et vitia antiquo carmine scripta mihi.
Hoc velut in speculo, facies turpissima quæ sit
Iugi lucro madens ebrietate, vide.
Quam visam fugias vita aspernatus in omni,
Si laudem veræ sobrietatis amas.
Prima mihi cepti pars est decursa laboris,
Restincta faciam vela secunda siti.

VIN-

VINCENTII OBSOPOEI DE ARTE BIBENDI

LIBER SECVNDVS.

ADsis Bacche pater genialis consitor uvæ,
Et nobis propera funde falerna manu:
Grandia nectareo madeant carchesia succo,
Francica perpetuo flumine vina fluant.
Prolue vitiferos cœlesti flumine colles,
Et dignare tui munus obire patris.
Nos largo tamen imbre tuo perfunde Lyæe,
In pelagus rapidas auferat Ister aquas.
Ne velut æstivis pereunt fervoribus herbæ.
Cum vehemens siccos Syrius urit agros:
Sic mea tardato pareant arentia potu
Guttura, & exhaustis viribus ora siti.
Nec te formosi munus Ganymedis obisse
Tædeat, exemplum res habet ista suum.
Nectar & Ambrosiam quoties Vulcanus & Hebe?
Apposuere Deis, semideisque viris?
Cùm sis Vulcano potior, formosior Hebe,
Et te pro Phrygio si Ganymede probo.
Cur non esse velis nobis vulcanus & Hebe?
Et Ganymedæa fundere vina manu?
Sint igitur plen. calices, pateræque, cadique,
Sint plenæ trullæ, plena capedo mero,
Et phialæ vino tumeant: si rectius uti
Trimus ego docui munere Bacche tuo.
Si, licet indocto. celebro tua numina versu,
Sedulus atque libens si tua sacra colo.
Ævo si nullo Bacchi delebile nomen
Laudibus æternis clara per astra fero.

Te me-



Te melior superis non est Deus additus, ipse
Dites, formosos, ingenuosque facis.
Tu facis audaces animos, domitaque feroces,
Hoc sensit Pentheus atque Lycurgus atrox:
Ille quod afflicto cepta orgia rupit Acœte,
Hujus te contra vis quod iniqua stetit.
Quando tuas sævus Nysæ in vertice Nymphas
Terruit, & trepido fert tibi Thetis opem.
Hoc Indi sensere truces, nautæque maligni.
Quos modo Carpathius per mare gurges alit.
Spe desperantes, marcentia membra vigore
Erigis, ignavos sedulitate moves.
Quamlibet informem commendas Bacche puellis,
Quamlibet afflicti vulnera dura levas.
Rore tuo reficis deflentes funera matres
Natorum, & lacrymas sistis Iache mero.
Paupertatis onus grave tu portabile reddis,
Et facis ex humili splendida tecta casa.
Artes ipse doces, infanti plurima linguæ
Suggeris è plenis verba diserta cadis;
Ipse tuo dulces immittis munere somnos,
Ille tuus recreat corpora fessa liquor.
Ipse ter optatæ remoraris grata juventæ
Tempora decrepitos nec sinis esse senes.
Tu potis es longa spacium transscribere vita,
Currentes potis es tu retinere dies.
Ipse facis turbam crebro saltare senilem,
Ipse etiam curvas ludere cogis anus.
Jungis amicitias, jungis lenæe sodales,
Et tuus accendit frigida corda calor.
Ipse potes divos in magno solus Olympo,
Solus & ipse homines exhilarare potes.
Denique vitifluo demortua corpora succo,
Ne valeam, si non vivificare queas.
Ferreus est quem non tantarum commoda rerum,
Et quem non animo Bacchica dona movent.

Haud

Haud sic nostra stupent rigido præcordia ferro,
Vt moveat virtus me tua tanta nihil.
Quare age chare parens magno cratere repleto,
Suffice non lente vina bibenda mihi.
Bis dat, qui cito dat: bis gratia major habenda est
Pro re non magna quæ datur empta prece.
Cernis ut exhausto sit crater inanis Iacho,
Porge coronati vina secunda cadi.
Quo valeam partem reliquam superare laboris,
Atque suo ceptos claudere fine libros.
Tyro bibe, & memori mea dicta reconde falerno,
Sobrius auriculas arrige quæso tuas.
Vt videas quam sit turpis quam fœda voluptas
Ebrietas: & quod sobria vita decus.
Inter Apelleas monumenta vetusta tabellas,
Quas celebrat scriptis Græcia docta suis,
Eximiam tabulam manus ingeniosa reliquit,
Vtraque cui cedit, quas dedit illa, Venus.
Altera quæ nuda æquoreis emergit ab undis,
Altera quæ Cois non nisi cepta fuit.
Picturam referam, superat præstantia carmen,
Et vincit versus ars preciosa meos.
Late diffusus viridi stat gramine campus,
Arboribus medio consitus hortus inest.
Quem circumducta vallavit sepe nitentem
Floribus irrigui culta per arva soli.
Multimoda est illic vernorum copia florum,
Passim quæ facilem pingit amanter humum.
Lilia sunt illic, mollis amaracus illic,
Et cum sanguineis alba ligustra rosis,
Et cum purpureis violaria fusca rosetis:
Quid multis? verno cuncta colore nitent:
Non sic thure novo spirat panchaia: non sic
Vernat odoriferis fertilis hybla rosis.
His communis honos campū variabat & hortum
Vere novo sicut florida rura solent.

Hor-

Hortum præcipuo decorabat vinea cultu,
Atque in fœcundis vitibus uva recens.
Una dat ingressum sed janua magna patentem,
Intrantes dextram quæ sita parte capit.
Exitus augusto stat limine parte sinistra,
Qua tendit raro semita trita pede,
Sentibus & dumis & acutis obruta spinis,
Prorsus & horrificis aspera facta rubis.
Dextera quod tendit per amœna vireta, rosasque
Molliculas: plantis est via trita crebris.
Maximus hac populi est nitidū concursus ad hortū.
Quam currunt juvenes decrepitique senes.
Ante fores niveis stabant tentoria velis,
Frondosæ sedes, gramineique tori.
In quibus appositis genitalibus ordine mensis
Discumbens epulis advena turba vacat.
Conviva roseis redimiti tempora sertis
Sumebant hilara pocula fronte meri.
Sedibus addiderat Nymphas ætate decentes,
Quæ mihi sunt visæ promere vina cadis,
Et discumbenti cyathis apponere turbæ,
Et populum variis exhilarare modis.
Harum prima fuit vultu cultuque modesto
Sophrosyne præses illius una loci.
Hæc adventantes solio composta salutat,
Altera per sedes collocat Euphrosyne.
Euphrosyne formosa genas & fronte serena
Collucens, plausus lætitiæque datrix.
Et reliquæ Charites per mollia prata ministra
Convivas multa dexteritate tenent.
Comiter & populum vino invitare videntur,
Palmis portantes aurea vasa suis.
Cernitur & populi jucunda bibentis imago
Per spondas variis exhilarata modis.
Cujus pars certant lucta in viridante palestra.
Pars ludunt disco: pars pede pulsat humum.

Sunt

Sunt qui sermonem inter se conferre videntur,
Et sunt qui juncta carmina voce canunt.
Musica quinetiam præsto instrumenta jacebant,
Tibia cum cythara, fistula, plectra, lyra,
Quid multis? istic habitarunt agmine læto
Delicia, lusus, ocia, cantus, amor.
Plurima mundicies frugali splendida luxu.
Quæ deceat magnos non fugienda Duces.
Diffusis animis generosi munere Bacchi
Et sumptis epulis pars abiere domum.
Compositi & læto testantes gaudia vultu
Atque salutata præside Sophrosynæ.
Pars nondum contenta mero tendebat in hortum
Multum despecta præside Sophrosynæ.
Cujus in introitu rubeis stat fœmina buccis
Atque saginata crapula dicta cute.
Hæc capite & geminis ad se vocat agmina palmis
Ostendens patulas officiosa fores.
Atque ut totius facies tibi discolor horti
Nota sit, hæc paucis carmina pauca cape.
Præsidet in medio regali fœmina cultu
Ebria fœmineo cincta satellitio.
Pampineis sertis comptos ornata capillos,
Et manibus phialam ceu bibitura tenens.
Hanc juxta famulæ pateras calicesque gerentes,
Intranti turbæ vina bibenda ferunt.
Quarum prima mihi visa est Dementia dici,
Ex habitu & vultu; proxima luxuria.
Tertia letheis oblivio nata sub undis
Attonitæ similis, quarta sedebat humi,
Quæ mihi pigrities langoris filia visa est,
Stillantem cyathum semisopita tenens.
Quarta furiorifera sociata parœmia rixa
Vicina post hanc in statione stetit.
Postremam tenuit vecors insania sedem,
Cum rabie & juncto fratre furore sibi.

 Has

Has circumſiſtunt urſi, vituli, atque moloſſi,
Plurimus & longis auribus arcas equus.
Balantes & oves, hirci cum cercopithecis
Atque lupi atque boves, ſetigerique ſues.
Ex hominum facie mutati in monſtra ferarum,
Poſtquam fœminea vina bibere manu.
Intrabant homines humana fronte, manebant
Tales humana denique fronte diu,
Guſtato potu in formas abiere ferinas,
Priſtina nec cuiquam manſit imago ſua.
Tanquam cyrcæis haurirent pocula ſiccis,
Sic ſubito formis emicuere novis.
Primum cenſebam cernendo talia Cyrcen,
Reginam in medio ſtare, nec illa fuit.
Sed fuit ebrietas Graiis ſignata figuris,
Πάντων οἰνοπότων ἡ βασίλισσα μέθη.
At quæ multiplicum confuſio fœda ferarum?
Quæ vitæ facies interioris erat?
Nam mixtum patulis viſæ ſunt rictibus una
Omnes diſcordi vociferare ſono.
Ex alia ſed parte vomunt de gutture vinum
Vinoſæ indicium ſimplicitatis oves.
Quæ egeſſere canes eadem mox fruſta reſorbent,
In cœno volvunt dum ſua terga ſues,
Serpenteſque vomunt diros, virideſque lacertas,
Diſpeream ſi te carmine ludo meo.
Vaccas & vitulos, ranas vomere atque cicadas
Vidiſſes, gemmas octipedeſque capros.
Porro aſini libros, enſes cum fuſtibus urſi,
Mures & cattos evomuere lupi.
Indecores ſaltus exercent cercopitheci,
Quorum pars major florea ſerta gerunt.
Nec procul alternis laniant ſe dentibus urſi,
Et furiunt multa ſeditione lupi.
Quos furor & rabies in mutua vulnera trudunt,
Ceu geminas acies quæ fera bella gerunt.

Parte.

Parte sed in læva qua cernitur exitus horti,
Et via per modicas non bene trita fores,
In cœno in vomitu mixtorum fœda animantum,
Corpora confuso strata sopore jacent.
Partim vulneribus, partim quoque saucia vino,
Tanquam cæsorum mortua turba foret.
Quorum pars surgit discusso languida somno
Et repetit celeri lustra priora pede.
Pars nacta humanam faciem, sed pelle ferina
Tecta, petit tenues sobria facta fores
Hortoque egreditur pedibus male firma graduque
Incerto, membris mutila turba suis.
Qualem monticulæ speciem gessere bimembres,
Talis semiferæ turba abeuntis erat.
Egressis vetulæ laqueos & vincla gerentes
Occurrunt: captis injiciuntque manus.
Et duro faciles castigant verbere vinctos
Atque renitentes fustibus usque domant.
Quas inter non est in plures sævior ulla
Quam prima articulis attenuata suis.
Pallida quæ partim, partim rubet ignea vultu,
Et nisi me fallunt omnia, febris erat.
Sævit & in multos membris turgentibus una
Hydrops sulphurei crassa coloris anus.
Nec furit in paucos scabioso corpore psora.
Hos pulsans, illos improba crine trahens.
Una sed ante alias sexcentis obsita pannis
Afficit omnino corpora nuda flagris.
Squalida paupertas cernentibus esse videtur,
Mendici specie sordida macra fame.
Velivolo curru cum letho vecta senectus,
Proterit & juvenes, proterit axe senes.
Et plures aliæ, quarum mihi nomina non sunt
Cognita captivos sub juga dura trahunt.
Talis Apelleæ tabulæ florentis imago,
Et facies veteri grammate picta fuit.

Quam tibi, non quali decuit depinximus, arte,
Vicit enim hac versus ingeniosa meos.
Nunc super est pictis quae sit sententia formis
Carmine non longo discutienda mihi.
Conspicis hac geminas prisca sub imagine vitas
Et speculum siccae laetitiae atque methes.
Laetitiae est extra locus, ebrietatis at intra,
Mansio vitigeri florida septa loci.
Sed via per campum, quae maxima ducit ad hortū,
Copiaque innumera plebis euntis eam:
Significat cupide sectarier ocia cunctos,
Atque voluptates mente animoque rapi.
Sed tamen hos servare modum, & discedere Baccho
Perfunctos salva cum ratione domum.
Illos ignorare modum tempusque fruendi,
Atque ideo in septis lustra diurna sequi.
Amissa donec penitus ratione bibones
Videris in brutum degenerasse pecus.
Nec prius absistunt lustris ratione relictis,
Quam illos aut morbus durior inde fuget,
Aut tandem nudos abigat penuria rerum,
Semiferos durae projiciendo fami.
Haec est ebrietas cultoribus ista rependit
Dona suis: hosti vix satis apta dari.
Ebrietas furiale malum, blandumque venenum,
Mellitum exitium, dulcis amarities.
Ebrietas vitium deforme: & foeda voluptas,
Hanc fuge ceu pestem corporis atque animi:
Cui nunc sacra ferunt passim juvenesque senesque.
Vesani pulsa sobrietate procul.
Hoc mihi crede malo non est praesentius ullum
Quo citius perdis corpus & ingenium.
Nullius exemplo quamvis moveare potentis
Quem turpi affectus labe sequare ducem.
Non aliud vitium nunc magnas possidet aulas,
Quamvis nunc vitiis omnibus aula scatet.

Sic,

Sic, velut ebrietas, quæ summam prendidit arcem.
Perpetua ebrietas aulica vita modo est.
Nec gratus tumidæ servit modo sobrius aulæ
Quæstor, eques, consul, mulio, scriba coquus.
Cernis thyrsigeros passim regnare merones,
Assidua stillant ebrietate duces,
Si poteris bone tyro elephanta æquare bibendo,
Aulicus ex aulis præmia digna feres.
Non alio studio nunc ordo tenetur equestris,
Quisque cupit multo nobilis esse mero.
Quæ rogo nunc alia fatuat vesania cives?
Ebrietas omni regnat in urbe potens
Vinosos servos festa olim luce Lacones
Spectandos natis exhibuere suis.
Quo detestari puerilis disceret ætas,
Hoc vitiis morum turpia probra videns.
Nunc ipsi patres servorum exempla sequuntur,
Suntque suis natis ebrietate duces.
Sed quid sectatur nisi Bacchanalia vulgus!
Ebria vinosum pocula vulgus amat.
Ebrietas toto breviter non cessat in orbe,
Sunt passim bibulis omnia plena viris,
Hæc illa est lato tritissima semita calle
Vadere continue quam cupit omnis homo.
Est in contemtptu frugalis vita, libido
Potandi cunctos prodigiosa tenet.
Ducitur ebrietas nunc virtus maxima: nemo
Carpentem hanc sicco rebitur ore loqui.
Quæritur hac celebris nunc cunctis gloria: cunctis
Quæritur hac nomen, gratia, fama, favor.
Nemo nunc bonus est, nec strenuus esse videtur,
Plurima ni poterit perdere vina bibax.
Nullus eris si sint ignavæ ad pocula vires,
Plurima ni sicces pocula, nullus eris.
Quo circa flexos oculos intendere turbæ
Qui vult exemplo fallitur ille malo.

Nec degustatam dulci medicamine lotum
Deseret ut socii ductor Vlysse tui.
Te trahat exemplum nullum blandissima Siren,
Si salva è vino puppe natare cupis.
Contemplare precor fœdos puer optime mores
Et pone ante oculos turpia quæque tuos,
Quæ bibuli amissa peccant ratione videbis
Hac facie nullum fœdius esse chaos.
Mutatos homines dices in monstra ferarum
Horrida cyrcæis esse veneficiis.
Tollere clamorem cogeris imagine visa
Symposii & motus dicere voce truci.
Quæ vos vita tenet plusquam pecuina bibosi?
Quæ furia quæso pectora vestra movent?
Hoc non est gaudere, sed insanire bibones,
Hic equidem est vinum perdere, non bibere.
Vita voluptati quibus est turpissima: quique
Virtutem solidam nomen inane putant,
Et famæ titulum vilem melioris habentes,
Sectantur vestri turpia lustra gregis.
Exuit hic hominem qui talem vivere vitam
Sustinet, & sensus perdidit ille suos.
Nullum sic brutum, neque bestia sic bibit ulla:
Mensuram potus nam pecus omne tenet.
Ergo solus homo jam bruto turpior omni
Potandi nullum novit habere modum?
Quem Deus ipse sua formavit imagine: quemque
Egregiis animi dotibus excoluit:
Ille feras omnes, animalia cuncta pudendus
Exuperat fœda, bestia spurca, gula.
At non ille sator jucundæ vitis in orbem
Sparsit in hoc placidi munera grata meri.
Non jubet eximiis temere nos rebus abuti,
Dummodo sedandæ sunt data vina siti:
Non prohibet justum sumendi nectaris usum.
Sed neque cum genio bella gerenda docet.

Assidua

Assidua graviter fert ebrietate madentes,
Ebrietas vitio continuata datur.
Sed neque mox properans, quoties sitientius æquo
Hauseris iratus currit ad arma pater.
Quippe potest fieri ut Bacchi dulcedine captus,
Imponant animo vina dolosa tuo.
Errasti imprudens: facit hoc placabile crimen,
Culpa frequens digna est crimine, rara vacat,
Crebri supplicium lapsus pœnamque merentur,
Ebrietas pœna est afficienda frequens.
Qualia nunc agitant ferme convivia nostri,
In quibus ebrietas arce suprema sedet.
Nemo contente, nemo frugaliter istic
Bacchi concesso pocula more colit.
Respice convivas ab amico forte vocatos,
Comperies equidem me tibi vera loqui.
Nemo sepositis diffusus nectare curis
Iucundis quærit solvere corda iocis,
Nemo sophrosynen dignatur honore modestam,
Nemo respectum sobrietatis habet.
Qui non æquali cursu contendat in hortum,
Vix nunc in toto cernier orbe datur.
Sed nunc bella vide patriæ convivia nostra,
Cur procul exemplum lector amice petas?
In quibus ut madidos hospes dimittat amicos,
Hoc studet, hoc cunctis nititur ille modis.
Protinus infuso certant pugnare Lyæo,
Primum uno gemino mox calice, inde tribus.
Pocula siccantur, cyathi vertuntur in orbem,
Potatur strepitu concutiente domum.
Et vetus atque novum vario cratere falernum
Promitur, hic veteri provocat, ille, novo.
Ex alia rubei veniunt de parte coloris,
Cuius perspicuo vina bibenda vitro.
Iam quis factitia atque exotica vina recenset?
Quæ saltem ingluvies pocla profunda vorat,

Accedunt madidæ Cereris conjuncta Lyæo
Pocula non æquis, credo, reperta Deis.
Mox abaci vino stillant, & scamna lavantur,
Persusumque bibit plurima vina solum.
De mensis currunt crescentia flumina rivis,
Haud visi raro sunt mihi nare cade.
Tantus adest luxus, tanta est profusio vini,
Tot submersa mero pocula plena fluunt.
Non movet hæc quenquã facies turpissima, dicunt
Hic hic Germani discubuere boni.
Sed postquam indomitum vicit præcordia vinum,
Et natat in madido lubrica lingua loco.
Quam tunc spurcitiem, quæ tunc obscœna, pudore
Absterso, profert ebria turba precor?
Hic nullus verbis pudor, aut reverentia mensæ est,
Hic ratio casta nulla pudicitiæ.
Hic nusquam teneræ puerorum parcitur auri,
Dicuntur vitæ noxia verba piæ.
Promitur obscœna Milesia fabula lingua,
Historiæ molles, turpia furta, Venus.
Iactatur madido Ficulnus in ore Priapus,
Narrantur Cypriæ prælia spurca Deæ:
Turpia ridiculæ cantantur carmina Musæ,
Et mera postremo mensa venena vomit.
Ecce tibi porcos serpentibus atque lacertis
Plenos, serpentum virus ab ore vomunt.
Vipera tã præsens, nec habet Salamandra venenũ,
Non anguis, Dipsas, Bufo, Lacerta, Draco.
Noxia lethiferi haud est sic facies Basilisci,
Lurida non adeo sic aconita nocent,
Non insomnifica tantus reor aspide vires,
Nec tantum immundus stellio virus habet,
Quantum habet illorum turpissima mensa veneni,
Et quantum illorum perdita lingua nocet.
Quilibet urbanus lepido studet ore videri,
Vult quisque hic alium vincere spurcitia.

Et quantum ante mero tanquam nunc tupiter ore
Obscœno certant verba pudenda loqui.
Adde quod innumeri retegant arcana gulones,
Quæ prius in tacito delituere sinu.
Deposito referunt in apertum condita fuco,
Et sibimet fraudi lingua gravata mero est.
Quid? quod & infreni vinosis excidit ore
Improba per jugulum vox reditura suum.
Fertur fera nimis jactata parœmia vulgo,
Vina gubernaculo non moderata carent.
Mensuram vini superans & mentis & oris
Crede, potens non est amplius ille sui.
Sobrius occulte tacito quæ corde premebat
Hæc stolido cunctis ebrius ore refert.
Nam sicco quæ corde latent, hæc ebria lingua
Effert, atque facit cuncta sepulta palam.
Dedecus ipsa suum, sua cunctis ulcera pandit,
Quæ bene celarat dissimulata prius.
Hi proprio indicio produntur & infamantur,
Atque ideo mures turpiter ore vomunt.
Sunt qui ridicule sacra de lege frequenter
Dummodo jam poti disseruisse solent.
Scrutantur rerum mysteria cuncta sacrarum,
Qua juvet alma pios utilitate fides. (quæ
Quid lex, quid Christus, quid gratia præstitit: &
Possit homo arbitrio lege jubente suo.
Quos Deus æternæ præsciverit undique vitæ,
Diraque sub stygio quos Iove pœna manet.
Hic vero bibulas inter discordia turbas
Exoritur, pugnam quæ parit orta gravem:
De sacris quoties profertur quæstio rebus,
Dum negat ingenio cedere quisque suo.
Omnia divinæ quamvis abscondita legis
Ceu digitos pugnant noscere posse suos.
Quare prostituunt ventres mysteria Christi,
Quæ saltem siccis sunt meditanda viris.

O compotores fœdum pecus, ut mihi sæpe
Moverunt mollem jurgia vestra jocum.
Nam dum ridicula pugna certatis asoti
Num bona adhuc opera sint facienda quoque
Cernimus haud ullum fieri laudabile factum,
Per vos quod puræ sit bonitatis opus,
Quam quod sat fidi (si Diis placet) estis amicis,
Dum miseros calices vestra popina vorat.
Annuit is facile ut vobis sorbentibus unum
Proximus impigre pocula dena bibat.
Omnis in hoc vestræ pugnæ lis cardine pendet,
Quod caro sit jussa non maceranda fame,
Pluribus hæc verbis haud argumenta bibones
Confirmant, factis fortius illa probant.
Iussi jejunant nunquam, nec sponte dometur
Vt caro, jejuno vivere ventre student.
Quippe pigrum semper replent abdomine ventrem
Addicti vino perpetuæque gulæ.
Et quæ præcipue capit admiratio multos
Non hos ulla fames, non premit illa sitis.
Quo tamen hosce minus vexat sitis abrodiatos
Hoc arcus instar largius usque bibunt.
Delia sunt, credo, in quæ vasta Daneja turba
Nequicquam refugas anxia fundit aquas.
Quo plus nāq; meri crebro in cava guttura fundunt
Hoc magis atque magis pocula crebra petunt.
Tales immundos Epicuri de grege porcos
Efficiunt tantum plurima vina pios.
Inde vomi à rudibus quis demiretur asellis
In tabula nunquam quos didicere libros?
Interea crescunt securæ tempora vitæ,
Iraque contemti non bene spreta Dei.
Cælorum dominum bibulorum nemo requirit,
Irati nemo nomina magna timet.
Fabula sunt superi, stygii sunt fabula manes,
Fabula sunt bibulis alta barathra viris.

Nec,

Nec, quæ vinosis cœlestia regna negarit,
Vox Pauli bibulos dura minasque movet.
Quis vero memoret quam dent se turpiter omnes.
Hic ubi jam largis incaluere cadis.
Promtius expediã quot monstris mundus abundet,
Aut quot alat varias Africa terra feras.
Ionia undisoni quot pulsent littora fluctus
Sævus ubi boreas flatibus æquor agit,
Aut quot Erithræo nascantur in æquore conchæ,
Aut quot odoratis floreat Hybla rosis.
Percurram citius vitia execranda Papatus,
Quæ nullus longa scriberet iliade.
Quinam lege sua totum deceperit orbem,
Christi pervertens omnia verba Dei.
Qualibus ille dolis impostor & artibus usus
Congessit raptas totius orbis opes.
Quotque suis bullis animas demiserit Orco
Romanus præsul sanctulus ille pater.
Est qui perfusus vino lacrymatur, & est qui
Nullum ridendi novit habere modum.
Alter opes jactat, formosæ conjugis alter
Prædicat & speciem, & pignora nata domi.
Tertius Irus egens, quanquam ditissimus eris,
Deflet egestatis plurima damna suæ.
Audaces animos gerit inter pocula miles,
Sobrius aspecto cominus hoste fugit.
Pluribus exhausto crescit sapientia vino,
Fitque Solon subito qui fuit ante Midas.
Hic furit, ille boat, cacat alter perbibit alter,
Ille quod ingessit turpiter inde vomit.
A vomitu stomachum properat implere gravatum
Mox iterum & famulos fundere vina jubet.
Sæpe etiam, ô turpes, quicquid vomuere resorbent,
Vt canis egestos colligit ore cibos.
Aut aliquid fœdi & crudi, quod nauseat alter,
Sæpe vorant fortes ebrietate viri,

Vi-

Vitrea vasa, choas, nec sunt à morsibus illis
In caveis tuta, quæ modulantur, aves.
Ille refert Cynicos nudis saltare pudendis
Non dubitans, quiddam turpius alter agit.
Quintus adit rixas, & lingua pugnat amara,
Illidens madido pocula fracta solo.
Hic fœde ructat, somno jacet ille profundo,
Stertens oppletus sordibus & vomitu.
Non pauci quæruut amissa veste lutoque
Fœdati sera repere nocte domum.
Plures ad proprios, ceu sarcina plumbea, nidos
Portantur: cantat tertius ante fores,
Factus amator iners, dicas, mihi crede, luporum
Impulsos rabie sic ululare greges.
Hæc illa est bibulæ turpis comœdia vitæ,
Cujus ubique viris plena theatra vides.
Illa mihi superest acta claudenda supremo,
Vt constet numeris fabula tota suis.
Nullus in hac patitur vacuus spectator haberi,
Histrio sed quivis fervidus esse cupit.
Nec gravat hic proceres vilis persona Dromonis,
Nec magnos mimos hic pudet esse Duces.
Quid facerent plebes, procerum sordente corona?
Æmula sunt capiti cætera membra suo.
Nec cum de tali nisi parta laude theatro
Quærat adhuc firmo nullus abire pede.
Nemo tamen scenæ curat servire decenter,
Ebibulis populo nemo placere studet.
Turpia cordatis crebro spectacula præbent.
Et pueris risum sæpe movere solent.
Vel cum per medias gressu titubante plateas
Incedit nimio turba gravata mero.
Vel cum nocturnis sunt edita prælia lustris,
Manc per insanum commemoranda forum.
Vel cum magniloqua se jactant voce bibones,
Ille quot hesterna pocula nocte bibit.

Alter

Alter quot solus socios Baccho duce victos
Compulerit somno tradere membra gravi.
Ille quod in somnis tractas per pocula noctes
Egerit aßidue labra rigante mero.
Alter ridenti jurat se voce dies per
Iam multos sanum non habuisse caput.
Ille quot amissa noctes ratione bibendo
Sterterit in fœda forte relictus hara.
Est qui de victo se jactitet hospite, deque
Tota devicta sorbitione domo.
Non licet à bibulis alios audire triumphos,
Laude vehunt hausti fixa tropæa meri.
Porro quid hæc aliud turpis jactantia signat,
(Si cupimus recta rem reputare via)
Quam semel amißis rationis sensibus, omnes
In brutum bibulos degenerasse pecus.
Nemo sperabit bene sanæ mentis honestum
E re se turpi sumere posse decus.
Ne quenquam credo (nisi sit sceleratus & excors)
Turpiter ob vitium turpe placere sibi.
Fœdius est aliquid, seu turpius ebrietate?
Quemlibet immemorem quæ facit esse sui.
Quæ parit effrontes, & corda oblita pudoris
Cogit in absurdum currere quodque nefas.
Quæque sui quosvis sublato jure potentes
Dejicit, imbelles invalidosque parans.
Vt jam non titubans pes non mens linguaq; poßint
Amplius officium lector obire suum.
Obruitur gravis immodico sapientia vino,
Franguntur multo fortia corda mero.
Mænades insanæ Bacchum comitantur inertem,
Has nisi lurcones ebria monstra puta.
Cunctarum tollit Bacchus discrimina rerum,
Atque hominem prorsus non sinit esse hominem.
Sed tamen hinc claræ venantur præmia famæ,
Quærendi hinc bibulos nominis ardor habet,

Poto-

Potorem invictum dici laus major habetur,
Quam dici hectoreis ausibus esse parem.
Hanc avide famam properant contingere cuncti
Laudis: & hanc aliis praeripuisse juvat.
Si venit è nigro memorabile nomine nomen,
Si venit è vitiis candida fama malis.
Si parit aeternam fugienda infamia laudem,
Turpia si praestant lustra perenne decus,
Qui non perpetuo victuros tempore speret
Infames bibulos dulcis Iache tuos.
At non infami subsurgit gloria fama,
Turpibus è rebus gloria nulla venit.
Est ad virtutem tenuis perque ardua callis,
Hoc septum duris sentibus horret iter.
Hinc ille assequitur celebris praeconia fame
Qui tolerat casus laudis amore graves.
Non vino, virtus sudore paranda, paratur,
Et famae crescit sedulitate decus.
Sed quae sunt tandem illius praeconia laudis?
O bibule aut famae portio quanta bonae?
Si tua multibibae vesania foeda coronae
Laudatur, sanis vituperata viris.
Scilicet hinc oritur clarum & laudabile nomen
Si jugi madeas plena lagana mero?
Aut si nemo tuo vasto cum gutture justum
Certamen vini potor inire potest?
Hoc esset barathrū & vastam superare charybdim,
Aut Irim bibulam vincere velle siti.
Exuis humanos sensus, & bestia factus
Vt paucis placeas turpia quaque facis:
De grege vinoso partes fert ille priores,
Et caput est bibuli famaque prima chori,
Quem norunt omnes lenones, scorta, bibones,
Caupones, mimi, balnea cuncta, coqui,
Lusores, scurrae, lenae, vetulae, parasiti,
Mensipetae, servi, sordida lustra, proci:
Adde

Adde ambubajas, tonsores, adde Gnathones,
Et reliquum luxus desidiaque gregem.
Egregiam vero laudem & spolia ampla reportas,
Ista tuam laudat si mala turba gulam.
Cui dum ridicule conaris amice probari
Diceris infamis perditus atque nepos.
Dumque his obsequeris vilis tibi vita videtur,
Projicis hanc tanquam putrida poma forent.
Inque tuum peccas graviter turpissime corpus,
O gulo praepropera mox periture nece.
Nam dum plura nepos quam par est vina liguris,
Ipse ferus certe sis homicida tui.
Iupiter immodicis quoque suffocat imbribus arva,
Imber alit siccos, sed moderatus, agros.
Multus obest vini: prodest moderatior usus.
Hunc sapiens, illum non bene sanus amat.
Accelerat varios Sybaritica vita dolores,
Illa subit morbos multiplicesque cruces.
Amittunt habilem vino enervata vigorem
Membra, malis corpus fluxibus omne dolet.
Hinc tremuli capitis vertigo odiosa resurgit.
Hinc ille assidue pallor in ore sedet.
Inde manus tremulae, digitique rigore retorti,
Vincit ubi articulos saeva chiragra leves.
Hinc torpent nervi sine sensu saepe jacentes,
Stringit & incertos inde podagra pedes.
Hinc oculi fluidi, lippi, semperque rubentes,
Hinc male corrupto tormina ventre ruunt.
Hinc utraque sonat stridens tinnitus ab aure,
Ceu sonat in duris rauca cicada rubis. (bres,
Hinc quoque multiplices, veniunt denso agmine fe-
Hinc psorae, hinc scabies, hinc quoq; dirus hydrops
Hinc subitae mortes, atque intestata senectus,
Funeraque ingelido mane reperta toro.
Sunt hinc nocturno furiales tempore somni,
Hinc multis spectris irrequieta quies.

Hinc

Hinc ille est olidi deterrimus halitus oris.
Fœteat ut crebro spurca cloaca minus.
Denique totius corruptio corporis inde
Imminet exitio proxima multiplici.
Hæc tua si viridis non sentit damna juventus,
Hoc graviora tibi sunt toleranda seni.
Si non ante diem te funere mergit acerbo
Ebrietas, plenis immoderata cadis.
Omnino bibulam sequitur morbosa juventam,
Subjecta innumeris ante senecta malis.
Semper habet comitem stolida hæc vesania pœnam,
Sunt morbi immodicæ præmia luxuriæ.
Atque hæc est sero egredientibus obvia turba,
Hæ vetulæ bibulos lichnobiosque manent.
Tanti quod mentem mutet constare videmus
Vnde solet rabies, unde venire furor.
Vnde tot afflictæ veniunt dispendia vitæ.
Damnaque pœonia non medicanda manu.
Post, ubi corruptum est nimio jam corpus Iacho,
Et dotes animi disperiêre tui.
Obruit & bibulos cunctarum oblivio rerum
Partem animi memorem plurima vina necant.
Non secus ac stygii lethæa fluminis unda
Tollitur è memori pectore vita prior.
Vt taceam rixas, lites, convitia, cædes
Multiplices factas ebrietate duce.
Non opus est rebus manifestis addere testes,
Sed tamen è multis pauca referre volo.
Et quid ego longe peregrina exempla requiram?
Fare age quid nuper perdidit agricolas?
Ebria seditio villas vastavit & agros
Igne, furore, manu, sanguine, cæde, nece.
Invictum Hannibalem campani pocula luxus,
Vincibilem latio sola dedere Duci.
Magnus Alexander vino furiosus amice
Infecit mensam sanguine Clyte tuo.

Quo

Quo ſcelere imperio Vitellius excidit, unco
Tractus? delitiis, ſanguine, pene, mero.
Non alia extinxit ſceleratum vita Neronem,
Sectatum mores Sardanapale tuos.
Quid memorem plures vitio ebrietatis avito
De ſolio pulſos, imperioque Duces?
Excute Romanos annales, excute noſtros
Si magis exacte talia noſſe cupis.
Si quid habet vatum priſcorum fabula veri,
Et multo Lapithæ ſuccubuere mero.
Si non Dulichios utres Polypheme bibiſſes,
Servaſſes oculum ſic Polypheme tuum.
Iudith Holofernem necat ebrietate ſepultum,
Id quod lectorem Biblia ſacra docent.
Ebrietate, trahut quæ cuncta nefaria ſecum
Crimina, cum Sodoma verſa Gomorra iacet.
Quot iuvenes noſtro ſeclo ſatis indole clara
His peſſum vitiis ebrietatis eunt?
Viribus exhauſtis exhaurit & illa crumenam:
Herculeos cenſus conterit ebrietas.
Theſauros Crœſi ebrietas Craſſique voraret,
Hac res, hac patria dilapidantur opes.
Obſita panniculis comes ebrietatis egeſtas
Fertur, egeſtatis nigra laverna comes.
Hac te poſt nudum compellet ad improba facta,
Vtque pares numos ſuggeret arte mala.
Artibus exitium lucrabere turpe malignis,
Hic tandem finis ebrietatis erit.
Semper enim venter ſolitis vult rebus inanis
Diſtendi, feſtos ſemper habere dies.
Ocia venter amat, vult plenæ pocula menſæ,
Delicias, luxum, lauticiaſque cupit.
Iam niſi divitiæ Lydi, aut opulentia Craßi
Adſit, non poteris ocia lenta ſequi.
Divitiæ ignavis ſunt nullæ: ignavia, ſi quas
Sedulitas peperit, pigra profundit opes.

Et

Et tamen assidua magis assuetudine crescit
Potandi per se magna libido satis.
Hanc potes illæsus nunquam deponere: nunquam
Hanc degustatam linquere tyro potes,
Non bene gustatur tenero, mihi crede palato
Esca voluptatis perfidiosa malæ.
Quod semel haud facilis sit degustata relictu,
Pellitur à pingui non bene pelle canis.
Ægre Ithacus potuit socios avellere Loto,
Quam modice primis vix tetigere labris.
Dulce voluptatis Lotus blandumque venenum,
Quod degustatum linquere nemo potest.
Interea nemo quem cura domestica, quemque
Cum pueris uxor sollicitaret, erit.
Quæ, dum tu potas, dum plurima pocula sorbes,
Dum genio indulges, spongia plena, tuo,
Nuda sedens misere deserta luget in aulo,
Esurit & vacuum fortiter ante focum.
Sive pudicitiam vendit, sic cogit egestas,
Et formam in quæstu flebilis uxor habet.
Tu quoque forte alio flagras tunc mœchus ab igne,
Semper ut est Baccho fœda libido comes.
Sic facis uxorem lecti violare pudici
Iejunam sancta fœdera juncta, fide.
Aut illi pugnis durissima cœna paratur,
Et petit ingratum fuste cibata torum.
Nullius ebrietas, non si Cicerone patrono
Sit rea sub Baccho judice, caussa boni est.
Quam vaga mens, & vita parū comitatur honesta,
Os petulans, animus, lubrica lingua, levis,
Semper enim dictis meliorum rodit honores,
Qui trahit immodici pocula plena meri;
Cujus ab attracto rancet fœde aura tabaco;
Quique in eo fumo thusque crocumque putat.
Sic aliquis (referam certum tibi) noscere ducens
Sese montanas Bellerophontis aquas

Nuper

Nuper inoffensum multis proscidit, & omne
Convitium (meritus) fudit in immeritum:
Nec satis effreni traducere carmine; prælo
Tam male conceptum subdit amarus opus.
Alter, ubi stolidæ sensit convitia linguæ;
Idem agere approperat, reddere parque pari:
Ast ubi tentat in hunc, hujusque in quirere mores,
Videt ut hic totus nil nisi crimen erat:
Nec se, vel cunctis contendat viribus, ullum
Dicere posse, quod haud fecerat ille, scelus.
Ne tamen impune auferret maledicta; senatum
Rectus adit, jusque & justitiamque petens.
Hic noster, potus qui jam juraverat omne
Se fecisse illud, sobrius omne negat:
Bis equidem perjurus; nam dum fecisse merenti
Id sese, & dum se nil quid egisse, tulit.
Discite ventosas digito hinc compescere linguas:
Discite (hoc est) nimio non maduisse mero.
Vina parant iras; sed si sine viribus ira,
Vana est; & proprio pondere pressa, ruit.
Hinc etenim probitas, pudor & reverentia cedunt;
In quorum subeunt furta, dolique locum,
Contemptus superum, rerum mala cura bonarum;
Perditio famæ, turpis abusus opum.
Ad mala proclivis propensio quæque patrandi
Veloces vitium semper in omne pedes.
Ergo Methe cum sit tam fœda nocensque voluptas,
Unde venit bibulis pestis & atra lues.
Quid juvat hac juvenes animi corrumpere dotes?
Quid juvat hac corpus perdere quæso male?
Quid juvat hac florem teneræ extinxisse juventæ?
Quæ per se satis est ægra, caduca, brevis.
Quin emendata, tali jam tempore vita
Consulis ô melius culta juventa tibi.
Incumbens studiis doctos evolve libellos,
Et tibi linguarum nobile junge decus.

Quas tibi jam pleno suffundit copia cornu
Qua decorat nostras Attica Musa plagas.
Ista ad frugalem tam secula docta diætam
Quamvis corruptum te revocare queant.
Floret enim nunc ipsa suis jam Musa Camænis,
Iam passim celebres cernis in orbe viros.
Hos ad honestatem comites tibi sume sequendam,
Pocula cum fœdis sumere fœda cave.
Nullus enim patinis aut vino emerget, ut ustos
Post cineres volitet docta per ora virum.
Denique concessos preciosi temporis annos
Transigere haud temere sic sine fruge velis.
Atque domi trepidos suspensa mente parentes,
Fallas absumpto tempore & are rudis.
Ne velis ignem igni, nec flammis addere flammas,
Temperet indomitum sobria Lympha merum.
Hac via potandi monstratur origine Bacchi
Fulmine combusta de genetrice sati.
Igneus urentes jacet in præcordia flammas,
Atque mero usque meras ingerit ille faces.
His si nolueris & tu calefactus aduri,
Frigida ferventes diluat unda cados.
Ignivomo Bacchum flagrantem fulmine Nymphæ
Servarunt liquidis (igne perisset) aquis.
Ex hoc Nympharum Baccho conjunctio grata est,
Hanc nisi secteris, quod bibis, ignis erit.

VIN-

VINCENTII OBSOPOEI
DE
ARTE BIBENDI

Liber Tertius.

HActenus ornatæ frugalia pocula vitæ
Diximus, & laudes sobria vita tuas.
Addidimus fœdos turpissima monstra bibones,
Et mala damnosæ non numeranda methes.
Nunc tua Bacche canã, modo des in carmina vires,
Prælia largifluo perficienda mero.
Invictasque acies, & pectora nescia mergi,
Quamlibet immodicis debilitata cadis.
Mitte pater caput huc, placataque cornua vertas
Et des ingenio vela secunda meo.
Da generosa prius sitibundis vina camœnis,
Post potum melius carmina mille fluent.
Arma manu capias, animisque virilibus audax
Pugna tyro rudis me duce bella subi.
Pro galea capiti molles impone coronas,
Stillet odorata rore capillus aqua.
Amphora sit thorax, clypeus sit vasta capedo,
Sit tibi pro rigido vitreus ense calix.
Profunda cyathum, graciles pro cuspide thyrsos
Sume, tubæ subeat sicca lagæna vicem.
Mavortis miles Vulcania comparet arma,
Bacchi militiam talia tela decent.
Sic libet atque juvat vini certamen inire.
Claraque suffuso ferre tropæa mero.
Non aliis telis orientem vicit & Indos,
Bacchus non aliis omnia regna domat.
Ergo cui est virtus, animusque in pectore præsens,
Si quem vina juvant, & sitis ardor habet,

Adsit,

Alsit, & impigris attollat pocula palmis,
Victorem pugnæ præmia digna manent.
Nemo velit mecum tali sudare palæstra,
Qui non actutum potus abire cupit.
Nec quenquam fugio, non ipsum crede Bonosum,
Non Firmum: quamvis Cæsar uterque fuit.
Si quis nos saltem dapibusque meroque benigne
Acciperet, letho pocula multa darem.
Quas strages vini, quam possis cernere cladem,
Talia nos bibulos si quis ad arma vocet?
Si me irritarit etiam in certamina Bacchum,
(Parce pater nobis ter venerande) petam.
Audeo vinoso pugnax contendere Como,
Non superos timeo, non homines timeo.
Si nescis ego sum memorabilis ille Philanus,
Cui vini palmam Parthia tota dedit.
Nobis cedit & ipse Tricongius ille novellus,
Perpetua Insubriæ fama decusque suæ.
Quem stupet ipsa Methe fugiensq; timensque bibentem,
Quem Silenus amat, Menades & Satyri.
Artem igitur discat me præceptore bibendi,
Si quis potando vincere quosque cupit.
Pelidæ Phœnix, ego sum Præceptor Iachi.
Hanc nullus præ me tradidit artis opem.
Dixeris hîc forsan, quid agis vinose magister?
Cur tua præteritum Musa retexit opus?
Cur tua nunc versis revocat Palinodia verbis
Dogmata jussa pia sobrietate coli?
Non sunt hæc sanæ pugnantia dicta camœnæ,
Sic titubat largo lingua gravata mero.
Sobria perpetuo constat sibi Musa, nec unquam
Dissona discordi carmina voce canit.
Laudas astrictæ frugalia pocula mensæ,
Et vitam institui sobrietate doces.
Nunc inquis vini certamen inire laboro,
Actutum veniat potus abire volens.

Quem-

Quemlibet ultro etiam jactanti voce lacessis,
Atque parem censes non tibi posse dari.
Quod si cuncta sui jactantia turpis habetur,
Qua nunc te jactas fronte superbe Thraso?
Non ego scripta prius temere præcepta recanto,
Nec mea præteritum Musa retexit opus.
Quam norit quivis illa se jactet in arte,
Quisque sibi placeat, doctus in arte sua.
Iure superbivit fandi virtute patronus
Arpinas, Latii gloria summa fori.
Hippocrati justas tollunt medicamina cristas.
Nec falsam laudem vendicat arte sibi.
Cur non eximius semet jactaret Apelles?
Cum plures docta vicerit ipse manu.
Ascræus vates merita se prædicat arte,
Qua docuit quo sint rura colenda modo.
Arte sua turget Iuris legumque peritus,
Arte sua placuit Naso poëta sibi.
Ergo mei fuero vanus jactator honoris,
Si illa qua valeo glorior arte mea?
Quo nam jure mihi communia jura negentur?
Hoc aliis licuit, cur minus ergo mihi?
Non ego te jubeo frugalem ponere vitam,
Cultor ut insana jure probere methes.
Optima quæ visa est nostræ sententia menti
Audisti, hanc animo, hanc mordicus ore tene.
Nunquam plura bibas quam corporis exigat usus
Et frugi curam sobrietatis habe.
Sed quid ages si quis nolentem ad pocula coget?
Nunc prece, nunc precio, terrificisque minis,
Crebro etiam gladiis (quo nunc sunt more bibaces
Centauri) trucibus blandiloquisque logis.
Cum tali potius malis contendere ferro?
Gratius atque tibi nectare vulnus erit?
Quid facies quoties inter cœnabis honestos?
Pocula qui paulo liberiora bibunt,

Talibus

Talibus obsequio facili servire negabis?
Esset inhumani pectoris illud opus.
Sæpe propinantum precium nomenque decusque
Majus erit quam quod spernere vina decet.
Ne cupias illos inimicos sumere, juxta
Qui prodesse tibi, quique nocere queunt.
Sed nec te moveat, quod vaccas atque camelos
Dicunt potandi non superare modum.
Recte equidem vaccæ faciunt, belleque cameli,
Vt fert ingenium, nam ratione carent.
Qua si imbuta foret, mox responderet honesto
Vacca viro, faceret tardus asellus idem.
Sed nec vina bibunt, irritamenta bibendi,
Quis (dic) non liquida mox satiatur aqua?
Dic quot in hospitiis invitum sæpe lacessunt
Convivæ primis advena turba cadis?
Longinquis quoties hospes jactaris in oris,
Extra seu quoties ad loca missus adis,
Sæpius inviti casu potare jubemur.
Cogimur inviti qualia multa pati.
Omnibus in mensis vino certatur, & omni
Vina loco passim prælia multa movent.
Quænam cœna caret tali, quæ prandia pugna?
Sorbitione meri quæ (rogo) mensa caret?
Cuncta supervacuo nunc diversoria potu
Fervent, vinifluo flumine cuncta madent.
Nulla fuit multis seclis vinosior ætas,
Magna potes si nunc sobrius esse potes.
Alter Amicitiæ cyathum tibi præ bi bit, alte
Notitiam tecum potor inire cupit.
Tertius, heus primū poteris haud spernere vitr um,
Incivile foret, carpe libenter, ait. (bebit,
Quartus idem loquitur, caussam quoq; quintus ha-
Quæ tibi stat nullo rejicienda modo.
Hos nisi pocla ferens contra reverenter honestes,
Probro censeres id tibi jure dari.

Atque

Atque hæc sunt justæ tantum præludia pugnæ,
Essent hæc aliquo vina ferenda modo.
Ecce bibens iterum verso redit ordine primus,
Hospitii hoc veteris tessera grata facit.
Notitiam melius vult confirmare secundus,
Hinc crebros calices præbibit ille tibi.
Scilicet haud dura patientur fronte sequentes
Se sperni, qua nam dic ratione precor?
Accumbit mensæ quidam torquatus eidem,
Multa cui in digitis lucida gemma micat.
Cui caput est rasum, vestis dissecta, cicatrix
Plurima, & hircinis frons truculenta pilis,
Hujus si quid habes animi, data vina recusa,
Incutiet capiti pocula spreta tuo.
Si semel atque iterum respondes, provocat illum
Sedulitas: retines jam miser aure lupum.
Vis alios vitare, cibum vis sumere solus,
Cum te cum reliquis publica tecta fovent?
Majori sumptu solus cœnabis, & omni
Munophago semper durior hospes erit.
Quare ne tali possis succumbere pugna,
Arte perexımia non opus esse putas?
Si rudis à cunctis promiscua pocula sorbes,
Sobria si retines pectora fortis eris.
Hæc qui tradiderit tibi, non erit ille magister?
Aut jactat stolidam futilis artis opem?
Hanc sibi complures artem grandi ære pararunt,
Artem potandi sed schola rara docet.
Nosse potes minimo fidi præcepta magistri,
Quæ tibi potanti cupidis instar erunt.
Ut nunquã utaris, quid obest tamen arma parasset
Sive quid in promptu tela tenere nocet?
Adveniet tempus vinosa quod exigat arma,
Quem stringes si non ad femur ensis erit?
Conspicis ut duris semper stet miles in armis,
Et tamen haud semper, qui gerit arma, ferit.

Ergo animos opus eſt dociles attendere, noſtræ
Qui dare militiæ nomina forte cupis.
Principio ſeu te perduxit ad orgia caſus,
Seu ratio certis ſubdidita conſiliis.
Et tibi pro veteri eſt abeundum aut lege bibendum
Aut mox in multo pervigilanda mero,
Aut agitanda die vino convivia largo,
Si ſapis inprimis providus eſſe ſtude.
Anceps cum bibulis tibi pugna gerenda duobus
Certanti infuſo nectare ſemper erit.
Primus erit tibi qui ſputamina vina propinat,
Alter erit cui tu pocula ſicca dabis.
Primus te contra potans feret arma, ſecundus
Quæ tu depellis ſentiet arma, bibax.
Nec plures tecum certamen inire falerni
Optes audaci ſuſtineaſquè manu.
Noluit Alcides vires tentare duorum,
Fortior Alcida ne velis eſſe Iovis.
Vnum aliquē inſignē numero tibi delige ab omni,
Quem tua configant ſpicula cuncta trucem.
Hunc pete Achilleo pugnantem gutture, Bacchi
Telis quæ crebro plena lagana dabit.
Hunc unum, hunc ſolum ſemper jaculaberis hoſtem,
Ictus excipiat ſolus & ille tuos.
Pugnaſti magna victor laudabilis arte,
Talem proſtravit ſi tua dextra virum.
Plus dedit Æacidæ laudis fortiſſimus Hector,
Quam reliqui cæſi mille dedere Phryges.
Vincere nec vulgo Danaos Priameius heros.
Sed ſtuduit magnos ſternere quoſque Duces.
Semper in audaces ſpreto Therſite Patroclos
Intentos habuit belliger Hector equos.
Nec tibi ſperandum eſt cunctos te vincere poſſe,
Pugna eſt unius non bene firma manus.
Invalidæ fiunt diverſæ ad plurima vires,
Collecta nunquam debile robur habent,

Si bi-

Si bibis ad plures replent tua pocula nullum,
 Sed te replebunt pocula multa cito.
Fac ita oppugnent unum tua pocula solum,
 Quo victo, potis es vulgus adire ferox:
Aut si succumbis victus certamine, magni
 Clarius Æneæ succubuisse manu est.
Te tamen ut cupita latum victoria laude
 Afficiat, potans sic age victor eris.
Este memor quæ cuique feras quæ cuique propines,
 Vt tibi par prompto reddat ab ore pari.
Nullos dissimula cyathos, nec parce sodali,
 Exige multiplici debita vina prece.
Non est ars pateras posse evacuare capaces.
 Non est ars plenos posse vorare cados,
Non est artis opus phialas siccare frequentes,
 Et vastos vini non trepidare lacus,
Non si Romanum potando æquare Bonosum,
 Non si etiam firmo firmior esse queas:
Hoc erit artis opus, virtus hæc summa bibendi,
 Vt tibi compotor reddat ubique vicem.
Hic decet attentum te pectus habere bibentem,
 Hic oculos argi præstat habere nimis.
Tu quibus observes, quæ pocula cuique propines,
 Et quo tu graderis calle, sodalis eat,
Expertus dico, nemo est potando fidelis,
 Ni fueris cautus decipiere crebro.
Ante potes niveos coracas, volucresque chelonas,
 Et cygni plumas ante videre nigras,
Quam fidum potu, experto mihi crede, sodalem,
 Debita mensuræ qui sine fraude bibat.
Non modo mendacem memorem decet esse bibacem
 Multo plus memori mente valere decet.
Quare nulla tuam capiant oblivia mentem.
 Præbibe non tacita vana falerna manu.
Ad respondendum verbis compelle sodalem,
 Sæpius appellans heus mihi redde vicem,

Heus mihi redde vicẽ, ſiccanda hæc pocula reſtant.
Cur precor hoc vitrum ceſſat? & iſte calix?
Ad reſpondendum cunctantis ſæpius aurem
Velle: meri memorem quamlibet ipſe mone.
Quo nam ſæpe alios pleno cratere laceſſis?
Quo ſorbes avida pocula plura gula?
Si non das operam bibat ut data vina viciſſim,
Quem cupis oblato depoſuiſſe mero.
Qui non lethæi potarit gurgitis undas,
Ille mihi princeps ſorbitionis erit.
Qui non mobilibus tradit ſua pocula ventis,
Sed reſponſa petit nectare, victor abit.
Expertus multos bibuli virtute duelli
Vidi potores non habuiſſe pares.
Cur ſunt ante alios vino potuque repleti?
Exhauſti curam non habuere meri.
Hujus ego obſervans præcepti & moris & uſus
Prædam de victo ſæpius hoſte tuli.
Hoc & tu potans obſerva victor abibis,
Et dices artem pondus habere meam.
Præceps eſſe cave, ſtolidi neque Proteſilai
Ante alios Danaos æmulus eſſe velis.
Sed lente propera ſpumantia vina bibendo,
Aut propere nullo victus ab hoſte cades.
Ipſe recens feſſis incumbe, noviſſimus exi
In pugnam: feſſos vincere quiſque poteſt.
Crede mihi non ſunt Bacchi properanda duella,
Sed ſenſim tardo proficienda mero.
Nonne vides juvenes ferventi mente feroces
Vt ſubito extincto pectoris igne jacent?
Dum temere properant non feſtinanda falerna,
Et cumulant hauſtus hauſtibus uſque novis.
Cuncta quaſi in celeri ſtaret victoria potu,
Quo te non alios ebrius ipſa gravas.
Sanguineis bellis ſæpe eſt properantia lucro,
Qua dux incautos obruit arte viros,

Atque improviso prosternit marte quietos:
At vinosa pigra stat nisi pugna mora.
Qui subitos avido calices ingurgitat ore,
Ridiculus primum hic omnibus esse cupit.
Ergo meo monitu potando lentius, ipse
Carminibus dices pondus inesse meis.
Quem properare vides crebro huic occurre falerno,
Bis victus facilis fit properante mero.
Haud labor est ullus tales submergere potu,
Ipsi se mergunt sedulitate sua.
Sicut miles iners temere procurrit in hostes,
Et fultus nulla quenque lacessit ope,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba,
Ille sua culpa victus ab hoste cadit.
Quod tibi ne eveniat lente properare necesse est,
Et circumspectus lambere vina labris.
Sed neque vina vora, nec avariter ingere potum,
Nec crebro magnis haustibus inde merum.
Obruit ebrietas ita festinata bibentem,
Et vomitu turpem ridiculumque facit.
Haustibus evacua carchesia magna pusillis
Paulatim audaces vina vorare sine.
Ipse lubens primos illos concede triumphos,
Et prima pugna celtica corde gerant.
Ultima laus tua sit, tua sit victoria, tantum
Providus invicta consere bella manu.
Nec male pransus ad jejuna pocula lingua,
Nec vinum vacuo ventre crepante bibe.
Quod nisi vitaris citius repleberis illo,
Quem conabaris tu superare mero.
Fac oneres ventrem grata dapis ante saburra,
Et fundamentum potibus ante jace.
Indulge dapibus, licet urgeat unus & alter,
Dic, nondum plene sum satur ipse cibo.
Non feret ille moras, nec prandia lenta vorantem,
Sed quæret cuinam pocula prima feret.

Interea veniat tibi grata cupido bibendi,
Ante merum sumptum si bene pransus eris.
Hinc improvisum sumptis invade cypellis,
Dulcia quæ blanda reddita voce bibat.
Quem si compereris ad vina bibenda lubentem,
Et facilem, ulterius, qua via ducit, eas.
Præveniens semper nullum concede regressum,
Quo te de cursu detrahat ille tuo.
Succedant calici calices, carchesia trullis.
Inque locum subeat vasta capedo cadi.
Nec mora, nec requies, sed crebra grandinis instar
Ingere non pigra pocula multa manu.
Prothea jam retines, constringe tenacia vincla,
Nec requiescendi possit habere locum.
Effice ne posthac quisquam te voce lacessat,
Plenis urge cadis hæc ubi signa vides.
Dum jam fastidit, dum nauseat ille falernum,
Emicat & subito magnus in ore rubor.
Increpat astantes sæva dum voce ministros,
Pocla quod ante alios uberiora bibat:
Si jam balbutiens verba imperfecta profatur,
Sæpe puellarem si petit æger opem,
Pocula si crebro lambit, si vina pitissat,
Et crebro ex udo si spuit ore merum,
Callidus effundit si clamve palamve falernum,
Hæc ferme victi signa bibentis erunt.
Iam prior extinctis flammis deferbuit ardor,
Vrge mero, victas jam dabit ille manus.
At si præveniens aliquis te oppugnat & urget.
Et jam vallavit obsidione meri,
Accumulans cyathos cyathis, haustusque subinde
Haustibus ingeminans, conduplicansque novis,
Nec respirandi tibi linquitur ulla potestas,
Atque retinendi copia nulla datur.
Hoc opus, hic labor est cursum turbare ferocis
Hostis, & è plana vertere vela via.

Victo-

Victoremque meri palma spoliare petita,
Aut æquo saltem Marte redire domum.
Fac ergo quoties pugna es congressus iniqua,
Et stant ante tuos pocula multa fores,
Responde sensim nec vina oblata recusa,
Crede suis audax viribus ille ruet.
Interea poscas magnum cratera ministrum,
Quem bibat alterna te referente vice.
Oblatum querulo si spreverit ore falernum,
Et debere palam te sibi multa docet,
Et solvenda prius portati debita vini,
Et si reddendum plenius esse vicem.
Hactenus ecce à te tot pocula plena recepi,
Inque nec invito sedulus ore bibi.
Tu tamen hoc uno & primo cratere gravaris,
Quem jussit summus me tibi ferre pudor.
Qui nisi honestarem te contra, ferreus essem,
Rusticiorque Scythis, barbariorque Getis.
Pocula quæ mihi adhuc à te sorbenda supersunt,
Omnia non alta sedulitate bibam.
Non ita inhumanus, neq; erit sic truncus agrestis,
Vt queat hoc pacto vina negare tibi.
Accepto vino mox est de tramite pulsus,
Versaque de cursu vela secundo suo.
Hinc tibi solvendi spacium tentusque parasti
Debita, quæ solvi flagitat ille sibi.
Nec metus est ne te properata protinus obba
Obruat & celeri degravet usque mero.
Sunt sorbenda duo prius illi pocula, primum
Quod sumpsit: demum quod tibi ferre cupit.
Interea facili dabitur tibi copia casu
Potando primum qua tueare locum.
Quæque addas primo mox altera dona metallo,
Mox dabit his alius tertia vina locus.
Hac te non alia evolves ratione Lyæo
Oppressum, si tu naviter usus eris.

Hæc tibi præstabit vinosam regula palmam,
Hæc mihi victoris nomen habere dedit.
O mihi præteritos referat si Iupiter annos,
Qualis eram juvenis plurima vina vorans,
Dum firmæ stabant juvenili in corpore vires,
Nec dum dilapsum tempore robur erat.
Dum viridi fueram vini patientior ævo
De vino referens multa tropæa domum.
Talibus instructus præceptis, arte, magistro,
Stravissem cunctos sorbitione meri.
Obvius haud quisquam mihi sese impune tulisset,
Seu venisset eques, seu foret ille pedes.
Hausissem Oceanos totos, vinique paludes
Siccassem, oblati vastaque stagna meri.
Vt quondam Scythicis audax sum cognitus oris,
Bacchica cum primum miles in arma rui.
Quando Cypellomachus Parthorum ductor atroci
Mente furens bibulis intulit arma Scythis.
Horum sceptra tenens regalia forte procaci
Chandopotes nostrum læserat ore ducem.
Miserat Oenoptam rex Parthicus annua poscens
Reddere quæ debet pocula Chandopotes.
Inter at ille probe jam vina liquentia potus
Debitor est olim rex mihi vester, ait.
Dena propinavi totidem mihi pocula debet
His mihi siccatis annua dona feret.
Exigit injuste mulctam, respondeat ante
Ceu par est, decies pocula dena mihi.
Vt nostræ leges & fœdera facta loquuntur,
His stet: sive sciat bella parata sibi.
Retulit Oenoptas vinosi dicta tyranni,
Illa movent stomachum dura Cypellomacho.
Sicut sæpe levi de caussa atrocia surgunt
Bella hæc si caussa lis fuit orta levi.
Nec mora collectis mox regni viribus addit
Ille sibi Thracas, Bacchicolasque Getas,

Atque Leontinos, vocat ad socia arma bibaces
Francos, his junctus tunc comes ipse fui.
Sic intrans Scythiæ contracto milite fines
Diripit hostili barbara regna manu.
Pugnatur passim poclis ingentibus, omnes
Siccantur crebra sorbitione penus.
Cumque hostes nollent nobis occurrere pugna,
Et conferre palam signa pedemque negant.
Omni vastata circum regione Scytharum
Cinximus Oenopolin obsidione gravi.
Non bene munierat ducta tentoria fossa,
Et jacto vallo castra Cypellomachus,
Chandopotes acie portis erumpit apertis,
Vt subita incautos obruat arte Getas.
Hic improviso complentur castra tumultu,
Ordine dum nullo miles ad arma ruit.
Franguntur calices, carchesia, cymbia, quisque
Pro se quod potuit rem gerit, atque bibit.
At crepitu, & strepitu, & sonitu, & clamore bibentũ
Et plausu, & mixta voce strepebat ager.
Audiit alterius vocemque & verba loquentis
Nemo, satis proprium sensit ab aure sonum.
Vinorum undantes rivi per castra fluebant:
Ossibus & spinis lubrica squalet humus.
Quis cladem illius lucis quis pocula fando
Explicet? aut verbis vina referre queat?
Vidisses Cotylis nullum, aut certare cadiscis:
Grandibus Ecpetalis edita pugna fuit.
Ancipiti multo pugnamus tempore Baccho,
Excitat audaces ductor utroque suos.
Tandem Zoropotes aciem perfringit, & infert
Ignigenæ intrepido signa secunda pede.
Et primum grandi patera prosternit Epachtem
Durum & morosum difficilemque Scytham.
Incitat ultorem Paraspondus Epachtis Amictum
Consimilem vita, moribus, ingenio.

Non impune tamen: vitrea volat obvius orca,
Plus quam metretas tres capiente meri
Zoropotes, sternit Paraspondum, sternit Amictum,
Lathrophagũ & Lichnũ, Dathrõ & Oenochoũ.
Zoropotæ virtus alios accendit inertes:
Surgit ab alternis maxima pugna cadis.
Dicite Peridies, non omnia possumus omnes,
Quo quivis cecidit victus ab hoste mero?
Et meministis enim Musæ, & memorare potestis:
Spectastis sicca prælia nostra Deæ.
Septenis cyathis jugulavit Alazona victum
Apsicorus, denis Phorticus Apsicorum.
Lerus Nestereo stravit Nephona Cypello,
Dejicit & Phlyarum, cumque Epulone Lalum.
Oenophlyga Abrobius, Metadorpion Abrodiætus
Autorophes Graja vicit utrosque Choa.
Dipsaleum grandi Methium ecpomate mutum
Fecit, & oppressit lumina fessa sopor.
Gastroborum vino, musto sepelivit Acœnum
Syssitus, frater cui parasitus erat.
Quos genuit Methysa genetrice parens Homositus
Cum Metriosito fratre minore Geta.
Offe recusantem sorbere petit parasitum
Perfusum multo Symposiarcha mero.
Mixta mero in mediam ructanti gutture mensam,
Compodes largo flumine frusta vomit,
Trygobius plures, quos fama obscura recondit,
Reddidit oblitos, immemoresque sui.
Quem tamen Excœnus, dum forte meratius haurit,
Compulit in celerem cum Comedone fugam.
Non tulit hoc Lurco, Excœnum cum fratre Pareno
Oppressit cotylis corsica vina bibens.
Vidit mers fratrum casum, ingemuitque Dysœnus
Vltor, ait, venio vindice Lurco mero.
His dictis illum ferit Spumante Monoto:
De victo sperans hoste tropæa sibi.

Exor-

Exorbens Lurco conatus risit inanes,
Iamque mea dextra præda Dysæne cades
Dixerat, & pleno miserum petit Amphicypello,
Ter bibit hoc Lurco, ter quoque Lurco replet.
Vicisti me Lurco, tua est Lavinia coniunx,
Vlterius noli tendere quæso mero.
Saucius hæc orat lingua titubante Dysænus,
Et ruit in fœdum quod vomit ore merum.
Ampelon intonsum satyro Nymphaque creatum,
Barbato attondit Lesbius ore Tragus.
Ampelon haud vino, sed vindicat ense Creurgus,
Mactatur Baccho victima grata Tragus.
Impatiens vini ad gelidas Abstemius undas
Fugit, quem sequitur sobrius Hydrochares.
Fugit & abiecta Ripsaspis Asymbolus hasta,
Sed neque Thymbrophagus vina Byza tulit.
Nec tulit instantem frugalis Adipsus Asotum,
Deserta pugna fecit & ille fugam.
Ex alia sed parte Philoxenus atque Triphetes,
Collis insignes hic bovis, ille gruis,
Et Gluto, & Cothon, & equino gutture Gurges:
Treitiusque Bibo, treitiusque Nepos,
Quærentes crebris superare Progastora poclis,
Cuius aqualiculus vasta Charybdis erat,
Hosti non victo palma cessere relicta:
Percussi propriis viribus, atque manu.
Militibus nostris hic plurima damna dedisset,
Ni pigrum caperent munera tarda pedum.
Obstabat venter plaustro currente vehendus,
Et misero auriga defuit officium.
Oenobares, vino dum durius urget Agræcum,
Et responderi postulat usque sibi,
Nescius agrestes crabrones provocat in se,
Et bene sopitos in sua damna canes,
Quippe virum (minime dii præcavit ebrius hostem)
Crinibus arreptum sternit Agræcus humi.

Prostratumque gravi patera ferit, atq; cruentans
Dentibus excussis tondit utrasque genas.
Et miserum insultans dictis subsannat amaris,
Ecquid ego retuli nunc tibi rite vicem?
Oenobares cervi cor habens oculosque caninos,
Aut si non satis est præbibe, plura bibam.
Ecce Philoscommo Grajo Philopægmone natus,
Ebria Chandopotæ castra secutus erat,
Ille ut erat nulla clarus virtute, nec armis,
Ridebat falso quoslibet ore tamen.
Dumque vomit passim digna atq; indigna relatu,
Et lacerat levibus pocula nostra jocis.
Obvius huic tota fertur Manduco lagæna,
Qualis in Erpachio dicitur esse penu,
Haustibus inde tribus stolidum compescit Achivũ,
Vt nunquam posthac solverat ora loquax.
Et in Bomolochum prosternit, & Acrimythum,
Aptolomumque tuos ô Philoscomo greges.
His ita dejectis sensim discedere visi
Sunt hostes, nostram Marte juvante manum.
Iam quoque Chandopotes decies psyctere petitus,
Versis victus equis terga daturus erat.
Quippe Cypellomachus tantum psyctere bibendo
Noluit exiguis belligerare scyphis.
Intrepidus pugnam nisi restituisset Aplestus,
Ille leontino natus Aplestus agro.
Invictum pectus nulloque domabile vino,
Cui tres nunc ventres, & tria guttura erant.
Ter vino sternendus erat tria pocla bibenda,
Aut labor inceptus irritus omnis erat.
Pentaploo vini certamen ebibat & orca,
Vidi non paucos obstupuisse virum.
Hauserat ille prius quantum non tres elephanti
Naribus hausissent, si mihi crede, suis,
Iamq; neci Sthenelumq; dedit, Thamyrimq; Polũq;
Atq; Lamum atq; Lagun, Demoliumq; Geta.

Chlo-

Chloreaque SabarimqueDaretaqueTherfilochumq;
Et plures, longum quos memorare foret.
Inde meum fratrem, victo Philopægmone, sternit
Osophorum: natu me minor ille fuit.
Hic ego dejecti fratris casu atque dolore
Commotus, contra strenuus arma paro.
Addunt se nobis Evœnus & Ilapinastes,
Helluo & ipse suam contulit acer opem.
Apleste impleto quid me sævissime fratre
Terres? & telis quid minitare mihi?
Tolle minas venio vomiturus, & hæc tibi porto
Dona prius: leto dona futura tibi.
Ne meus hic saxo jaceat sic frater inultus,
Sic ego, sic contra ferreus ille refert.
Si pater ille meri faciat, sic sanctus Iachus,
Incipias mecum conseruisse manum.
Sordide fumosæ cultor sorexque culinæ,
Mox comitem fratri te fugitive dabo.
Talia jactanti ternos tribus haustibus utres
Præbibo, tres magnos his ego jungo cados.
Et totidem pateras una superaddo capaces
Semper gutturibus pocula trina tribus.
Ebibit intrepide ternos tribus haustibus utres.
Siccandis pateris deficit atque cadis.
Ergo ruens vomitu fœdat barbam atque capillos
Percacat & fœde subligar omne suum.
Exanimem socii rapiunt, mæstique sub urbis
Lectica molli mœnia celsa ferunt.
E stabulis collecta gerunt quæ stercora servi,
Purgat & immundas quave Syphorbus haras.
Sed quæ proluvies? quæ flumina? quanta ruebant
Qua de gutturibus stagna refusa tribus?
Vix equidem tantum septenis Nilus aquarum
Faustibus in vastum proluit Oceanum.
Plurima vidisses fluitasse poteria, currus
Vi vomitus, totos, plenaque plaustra rapi.

Euini-

Eunuchus regi charus gratusque Bagoas.
Illis vinifluis mersus obisset aquis,
Tres quoque Pygmæi pariter male nare periti
In tali capti gurgite morte forent.
Crinibus hos nisi correptos servasset Asotus,
Ob quos servatos civica serta tulit.
Fit fuga per campum dejecto turpis Aplesto,
Nec, qui porro ferox tolleret arma, fuit.
Aut qui pugnaret protenta cominus hasta,
Tantus perculerat pectora cuncta pavor.
Inde Cypellomachus fuso de rege Tropæum
Exigit, & donis afficit ille suos.
Me torques & denis auri argentique talentis
Accumulans equitem rex jubet esse novum.
Quando mihi esset equus, qui me portaret, ut essem
Semper eques, sed eo deficiente pedes.
Tempore sed Scythicos referam meliore triumphos,
Præsentis non est carminis istud opus.
Nunc quo digressus fueram mea vela reducam,
Eque vago in rectam calle redibo viam.
Fac præceptorum studeas memor esse priorum,
Sic tibi ferre queunt quæ referentur, opem.
Est clypeo miles semper munitus & ense,
Munitum clypeo te quoque & ense decet.
Quo subitos ictus vini depellere possis,
Promptus & adversa spargere tela manu.
Grande tuas (nec sit tibi dura angustia mensæ)
Vas semper madidas excubet ante fores.
Hoc vice sit clypei, quo non utere duellum
Dum tibi cum primis usque duobus erit.
Extra sed pugnam si quis te provocat, illo
Terge lacessentis pellere vina mero.
Vina propinanti fer vina, ferire volentem
Protinus edicto tu simul ense feri.
Sic absterrebis, sic ensem continet ensis,
Pellendus clavo sic tibi clavus erit,

Hoc

Hoc quoq; præcipue(nec enim leve pondus habebit)
Præceptum memori condere mente stude.
Nil extra numerum velis acceptare falerni,
Nec quod ab obliquo tramite forte venit.
Nemo bene potis est geminis incumbere bellis,
Et bene nemo domi vina forisque bibit.
Dic præsto plures alios hic esse sodales,
Sed te non cunctis posse referre vicem.
Sentis velle aliquos icto clam fœder e tecum
Et conjurato belli gerare mero.
Nil prius accepta quam fœdus scindis iniquum.
Ictum salaci more sodalitii.
Solus ut exhibeas gravis ebrietate cachinnos.
Qua ratione decet scindere fœdus ais.
Conspirasse mero vos in me sentio, dicas,
Sed nego me vestris viribus esse parem.
Solus vobiscum certamen inire recuso,
Solus cum multis morio bella gerat.
Continuum Grajo sed more bibamus in orbem
Si placet, haud alia conditione bibam.
Hac ratione bibens juncto cum fœdere cunctis
Defendens nulla cum gravitate locum.
Sic omnes unoque parique labore gravantur,
Sic par ferre meri cogitur omnis onus.
Sed neque turbabit nunc hic te, aliunde sed ille,
Nec clypeo exicpies omnia tela tuo.
Nam qui non solus possis succumbere vino,
Si præfixus eris omnibus ipse scopus.
At tu si quæris cursus tardare secundos,
Quæris currentes debilitare scyphos,
Orbis in adversam poclum jaculabere partem,
Et prius emissis obvia vina cadis.
Denique vis quoties æquo contendere Baccho,
Hæc servanda tibi regula semper erit.
Nulla per obliquum, sed cuncta bibantur in orbe,
Nec faciant ullas pocula missa cruces.

Hercule amabilius nullum genus esse bibendi
Hoc, neque vina magis candidiora scio.
Hoc nisi dum sorbent faciles utuntur amici,
Vtitur hoc madidæ gens bona Saxoniæ:
Dum coctam Cererem potant, crassosque liquores:
Hei mihi cur vinum non habet iste locus.
Digna mero gens, hæc superû gens nectare digna,
Quæ tam fraterne pocula aquosa colit.
Hoc etiam tacitum, quamvis sit ponderis instar
Haud magni minime dissimulare queo.
Vt nihil à genero capias, à sanguine juncto
Tantundem cape me præcipiente meri,
Non si te rogitet, non si te culpet agrestem,
Dixerit & silices pectori inesse tuo,
Et quia rixosas damnant convivia caussas,
Nec locus est inter libera vina foro.
Inter rixantes orto certamine, vino
De dubio præceps arbiter esse cave.
Nec te teste reus quisquam dicatur, & ulli
Alterius nunquam nomine vina dabis.
Semper enim tales donaria digna reportant,
Pondere quæ certo vina priora gravant.
Quædam firma parum dedimus præcepta bibendi,
Sed tamen ista simul non leve robur habent.
Hæc sunt assiduum tibi confirmanda per usum,
Citra quem possunt dogmata cuncta nihil.
Semper in eximiis potis est plus artibus usus,
Quam præcepta scholas utilitate juvant.
Vsu artes crescunt, usus facit esse magistros,
Vsum quisquis habet, grande juvamen habet.
Quælibet impigro perfectior ars fit ab usu.
Quis satis hunc merita tollere laude potest?
Hoc nisi firmatam tibi rite paraveris artem,
Ebrius immunda sæpe jacebis humo.
Sicut ego jacui non raro in stercore (cunctis
Hei destitutus artibus) inque luto.

Caussa

Caussa fuit lapsus, quoniam mihi defuit usus,
Instructo nuda scilicet arte parum.
Quapropter nostris præceptis ipse juvari
Qui cupis, assidua pocula verte manu.
Atque assuesce merum portare capacius haustum,
Ne te subvertant pocula trina cito.
Disce meis monitis vinum potare gradatim,
Pocula sex hodie, cras tibi pocla decem.
Qui modo fers vitulum, poteris mox ferre juvencũ,
Si tua vis, certos est habitura, gradus.
Pone rudimentum non in fugiente falerno,
Non in diluto, fortia vina bibe.
Quæ si ferre vales, & aquatica ferre valebis,
Quæ crescunt ripis Necchare cincta tuis.
Et bibe dum solidæ juvenili in corpore vires.
Florent, & genua dum tibi firma virent.
Nec tua tardigrados certamina differ in annos
Quo senior fies hoc mage miles iners.
Nec tamen hanc artem mox infamabis, & illum
Qui præcepta libens tradidit ista tibi.
Vinoso quoties fueris certamine victus,
Tempore non omni victor abire potes.
Sicut enim Martis dubia est, sic alea Bacchi,
Ludunt fallaci vina favore quoque.
Non semper, licet armorum bellique peritus,
Hannibal è cæsis hostibus arma tulit.
Nec passim vitreas Trasimeni Pœnus ad undas
Contudit Ausonios Marte favente duces.
Nec te, sis nostra quamvis bene tritus in arte,
Speres victorem semper ubique fore.
Porro ubi destitui cum vi te senseris arte,
Debilitas artis fraude juvanda tibi est.
Quamvis laudo minus factas in nectare fraudes,
Qui fallit vino, fallit & ille fide.
Si tamen insidiis alios & fraude videbis
Nitier, insidias vina bibendo strue.

Fraude

Fraude sinunt Bacchi leges depellere fraudem,
Cæsaris ut vim vi pellere jura sinunt.
Fallere fallentes nulli solet esse rubori,
Cretensis mendax, fraude petendus erit.
Quid prohibet Lapithas astu superare feroces?
Centaurosque truces vincere fraude meri?
Sprevit Alexander furtivæ præmia palmæ,
Nolens hostiles fundere nocte globos.
Tu mage Trojani laudabilis verba Chorebi,
Furari palmam grande putato decus.
Falle mero, dolus an virtus quis in hoste requirat?
Fallendi formas mille tenere potes.
Corrumpendus erit parvo prius ære minister,
Aut clam promissis alliciendus erit.
Misceat ut reliquis fortissima vina, tibi uni
Sobria supposita pocla ministret aqua.
Lene merum modici tibi præbeat ille vigoris
Sorbeat annosum cætera turba merum.
Vina vetustatem portantia linque feroci,
Si præsto est mustum sedule carpe novum.
Vinum dulce datur, tu crebrius utere dulci,
Ebria dulce minus pectora crede facit.
Si tamen & reliquos delectant musta bibones,
Ingere clam calici vina vetusta novo.
Si deprensus erit facile excusabitur error,
Pincernæ peccat talia multa manus.
Sæpe foras exi mictum, lucrabere tempus,
Quæ deturbantur debita vina loco.
Aut oblita tuus quæ tandem negligit hostis,
Non respondendo sic ego multa bibi.
Mitto alias fraudes simul insidiasque dolosque,
Quæ possunt bibulis omnibus arte strui.
Si tamen urbane convivas fallere quæris,
Mox à conflati limine Symposii.
Pocula principio quæ dantur cuncta recusans,
Dic potum vires non bene ferre tuas.

Cor-

Corporis affecti ſimulatos finge dolores,
Mendaci morbos fingere fronte decet.
Cuncta meri fore dona tibi gratiſsima, paulo
Sed prius à morbo convaluiſſe gravi.
Inde bibenda tibi præſcriptæ vina diatæ,
Magna tibi rurſus ni dare damna velis.
Hæc excuſantem nemo te ad pocula coget,
Moribus incultis ni Polyphemus erit.
Poſt ubi convivæ primo incaluere Lyæo,
Inſere ſed placido vina benigna pede.
Ne me conviva fortaſſe putetis agreſtem,
Quamvis firma parum ſit valetudo mea,
Attamen hanc pateram plenam ſaliente falerno
Præbibo vicino pignus amoris ego.
Admiſſus tali ad communia pocula pacto,
Tandem cum feſsis diſsimulata face.
Hac quoq; fraude potes ſemel omne cavere falernũ,
Arrident animo cum male vina tuo.
Profuit hæc etiam nobis fallacia multum,
Qua ferme potus ſæpius utor adhuc.
Poſtquam pene mihi videor ſuccumbere velle,
Et multis cyathis membra gravata jacent,
Atque ſtupent omnes conſumptæ in pocula vires,
Nec nobis ultra ſpes opis ulla datur.
Occulte madida titubans diſcedo palæſtra,
Et fugio erranti fervida vina gradu.
Sic nondum accepto lethali vulnere, memet
Semianimem certæ ſubtraho ſæpe neci.
Sperata palma ſpolio ſimul antibibones,
Quam ferrent de me non abeunte prius.
Nil vetat exemplum cur non imitere magiſtri,
Nec velit occultæ te puduiſſe fuga,
Neſcis palladius quid ſummus rhetor Athenis
Fecerit, & factum non ſine laude fuit.
Illum non puduit dici ripſaſpida, quippe
Vir fugiens iterum Bacchica bella geret.

Et tu cede prius quam quid committis inepti,
Et fias bibulo fabula falsa choro.
Ergo ubi cuncta tibi vincendi est dempta potestas,
Incipiant fessum vina referre pedem.
Nemo tuo sic se jactabit vulnere, nemo
Clamabit victum te cecidisse mero.
Sed quid tundo tuas studiis puerilibus aures,
Quærendo varias sobrietatis opes?
Cur præceptorum summam non promo meorum?
Semper ut invicta pocula mente colas.
Dicam equidem, nec te suspensum nate tenebo,
Qui semper salva cum ratione bibas.
Eoos inter magna virtute lapillos
Purpurea facie dicitur esse lapis,
Ille Methē abigens & acrepala pharmaca præstans
De virtute sua nobile nomen habet.
Cum Grais Italæ gentes dicunt amethystum,
Ille Gygis gemmis anteferendus erit.
Quovis hunc precio inventum mercare lapillum,
Vinciat articulos annulus iste tuos.
Ille tibi, si non fallit natura, bibenti
(Talis inest illi vis) amethystus erit.
Perpetuæ custos hæc sobrietatis habetur,
Et non sectandæ gemma inimica Methe.
Æthiopum reges hoc delectantur & Indi,
Quo bene securi vina perenne colunt.
Cui tamen hanc gemmam penuria denegat æris,
Ille sibi alterius pharmaca quærat opis
Plurima sunt nobis irritamenta bibendi,
Plurima quæ pellunt dat tibi mensa Methen.
Raphanus est modico medicina parabilis ære,
Ante merum sumptus dissipat ille Methen.
Infensa origano nec viribus æqua secundus:
Excludit nimiam brassica cruda Methen.
Discutit hanc etiam gustatis sectile porrum,
Arcet jejunis cepa comesta Methen.

Nec

Nec tibi ne quicquam laudatur amygdala gustu,
Non quæsit dulcis, sed sit amara suo.
Nec male pulmo citæ pecudis præsumitur assus,
Tantundem coryli crede valere nuces.
Et siccæ fici possunt defendere siccos,
Excitat & ficus non bene cocta sitim.
Profuit & memini isse croci prohibere valentis
Hæc mala, si quando ceu decet, haustus erit.
Sunt qui non dubitant etiam gustare cicutam
Ante merum, res est insidiosa nimis.
Talia contingant inimicis pharmaca nostris,
Proderit his longe simpliciora sequi.
Tu quoque ferventi memor interpone Lyæo,
Haustum de gelida jam bene potus aqua.
Discutit hic si quam contraxeris ebrietatem,
Igneus opprimitur frigore fervor aquæ.
Et quid hirundinei monstrem tibi pharmaca rostri?
Quæ tibi sumenti crapula nulla nocet.
Ne suescas Halymi supponere semina lingua
Vudam clytorio de neque fonte bibas.
Et bene conditas diverso pulvere cœnas
Sumere non avida tyro memento manu.
Condimenta merum vel debile viribus augent,
Fortia dic quanto vina calore juvant?
Quanquam reclamet medicorum turba, sed usu
Hoc didici verum, quod loquor, esse nimis.
Plus me quam medici movet experientia, quippe
Quæ solum medicos reddit & ipsa bonos.
Hæc quoque ad extremum præcepta prioribus adde
Totanti nunquam prætereunda tibi.
Nulla cum muliere meri certamen inibis,
Nec cum multibiba congredieris anu.
Inveniuntur enim mirando gutture Bacchæ,
Quæ spernunt ipsum vina bibendo Deum.
Quas bene Ama Zoniis possis conferre puellis,
Quoslibet audentes sustinuisse viros.

Quamvis has vino vincis, victoria laudis
Aut nihil, aut prorsus est habitura parum.
Quippe tibi imbellis magnũ & memorabile nomẽ.
Nulla dabit multo fœmina victa mero.
At si victus eris, cunctis ludibria fies,
Quod vir ab imbelli victus es ipse manu.
Sicut Pelidæ non multum laudis Amazon
Victori virgo Penthesilea dedit.
Rectius, Æneas Helenen jugulare lacenam
Nolens, quæ patriæ caussa ruentis erat.
In tali pugna potius Cytherejus heros
Quam ferus Æacides tyro sequendus erit.
Insuper est tibi mens ludibria plura cavendi;
Et mala vinoso sæpe ferenda? vide
Ante ne decoctum lecto somnoque falernum
Ebrius è tectis egrediare tuis.
Hæc tibi prima puer fuerint elementa bibendi,
Quæ si cognoris mox graviora dabo. (chus
Quæ nunc ferre nequis, prohibet quoq; cætera Bac-
Effari puero, non nisi fanda seni.
Hæc ego versiculis cecini juvenatus ineptis,
Quæ qua scripta vides, hac quoque mente legas.
Ut nobis vacua placuit nunc mente jocari,
Si quoque censebis carmina nostra jocum.
Nec mihi propterea metuendos esse Tomitas
Spero, nec Euxini frigora dura freti.
Non docui qua sint fallendæ fraude puellæ,
Nupta nec alterius quo capienda dolo.
Non scelerata sonat violati crimina lecti
Ars mea, nec Veneris turpia furta sonat.
Oscula nulla docet, nisi quæ figenda Lyæi
Sunt placido plenis ore pudica cadis.
Nullus amor, nullum nostro est in carmine stuprũ,
Nullum habet infandum nostra camœna scelus.
Sobria concessi monstravimus orgia Bacchi,
Nonnunquam & liciti bella jocosa meri.

Judi-

Iudiciis ideo non sum damnandus iniquis,
Nec peccat a Methes, nec mala lustra probo.
Nec me vinoso madidum de carmine cense,
Ebria Musa mea est, sobria vita mihi.
Quod vinum gelidis ego poto libentius undis,
Hoc mihi quis vitio vertere quæso velit?
At tu qui nostram non horres lividus artem
Carpere, & obliquo rodere dente Theon.
Non mala, non diras tibi iniquior imprecor ullas,
Ibide quas memorat Naso *poëta sua.*
Dummodo propitium nunquam tibi numen Iachi
Esse velit: potes ut bona vina semel.
Lætitia careat, careat dulcedine Bacchus
Improbe spurcidico quem bibis ore Mevi.
Nullus contingat sitibundo nectaris haustus,
Pellat vappa tuam, turbida fexque sitim.
Degustes non lene merum, non dulce falernum,
Pendula vina bibas, mucida vina bibas.
Denique quando vides lepidos potare sodales,
Et nitida lætum sumere fronte diem.
Despectus solus sedeas, & ringere tristis,
Invida discruciat dum tua labra sitis.
Mænades & Satyri demum (ceu Penthea matres
Thebanæ) lacerent te perimantque male.
Et tua claudantur nullo sparsa ossa sepulchro,
Quod rabido faciles carpseris ore jocos.
Lusus habet finem, juvenes date vina magistro,
Non alia à vobis præmia namque peto.
Dumque meam plenis cyathis versabitis artem,
Discipuli memores vos precor este mei.

ΤΕ΄ΛΟΣ.

THOMÆ VENATORII
CARMEN.

RES indigna viro totam consumere noctem
 Inter Thyrsigeri, pocula larga, Dei.
Infaustum studium, si cum spumante Lyæo,
 Vndantes pateras nox alit usque novas.
Res sed digna viro latices haurire salubres,
 Fundat ut æternum Cygnus ab ore, melos.
Sic rigidos olim legimus maduisse Catones,
 Triste supercilium sic posuisse Sophos.
Scilicet est aliquid certa ratione bibisse,
 Hæc pars mansuræ maxima laudis erit.

EIVSDEM ALIVD.

QVi didicisse voles quæ sint incommoda Bacchi
 Quæve vicissatim commoda Bacchus habet,
Hos lege, non vana conscripros arte libellos,
 Quos hominum generi, Sobria Musa dedit.

MATTHAEVS DELIO

DE

ARTE JOCANDI,

LIBRI QVATVOR.



MATTHAEVS DELIO
DE
ARTE JOCANDI,

LIBER PRIMVS.

SI quis in hac artem non noverit urbe jocandi,
Me legat, & lepidos discat amare jocos.
Arte palæstritis veniunt in corpora vires,
Longaque non forti mittitur hasta manu.
Arte (quod ipsa prius vetuit natura creatrix)
Currit in æquoreis picta carina vadis.
Hæc nisi perpoliat rudis est natura, decusque
Amittens, subito degenerare potest,
Laude quidē dignos (quis enim neget) esse fatemur,
Te quibus erudiit docta Minerva jocos.
Et quos ingenii felix tibi dictat acumen,
Pectoraque Idaliis candidiora rosis.
Dispereant arti tribuentes omnia, qui non
Naturæ dotes nobilitate probant.
Sed quia quod vere sit ab omni parte beatum,
Rebus in humanis credimus esse nihil.
Arte opus est illis etiam qui dote beati
Naturæ, ingenii dexteritate valent.
Adde quod ut veterem non omnibus ire Corinthum
Contigit & superas scandere posse domos.

Sic certe ingenii non omnibus omnia dona
Contulit, aut cunctis æqua Minerva fuit,
Ergone tentandum nihil est, mutanda voluntas,
Et studii cura est abjicienda tui?
Non ita, sed doctam facilemque ad quælibet artem
Consule, non minimum, quæ valet arte, valet.
Hoc quoque ab arte petes, qua sit ratione jocandũ,
Quaque via incedas me duce certus eris.
Ferte pedem Charites, hic aspirate canenti,
Vos eritis scripti pars quotacunque mei.
Convenit hoc vobis studium, salibusque jocisque
Ocia ludendis non inhonesta sequi.
Inde quod est ratio, quod regula certa jocandi
Acceptum vobis quenque referre decet.
Vos dictate precor teneris præcepta Camœnis,
Quæ passim ingenuo sint adhibenda joco.
Sic quoque vester honos nec inani gloria fuco,
Crescet, & hoc aliquod nomen habebit opus.
Nunc bibulo nostram solvemus littore puppem,
Et dabimus rapidis flaccida vela Nothis.
Principio geminos omnes adhibentur ad usus,
Docta quibus Charitum est lingua probata, joci,
Est prior in toto positus sermone loquentis,
Et bene si species latius ille patet.
Nam quoties aliquis tibi conveniendus amicus,
Cui mens alloquio est dura monenda tuo,
Et quoties placandus erit sermonibus aptis,
Quem longa offensum reddidit ira tibi:
Multum verba valent grato condita lepore,
His rigidos animos in tua vota trahes
Tum quoties cœnam conviva vocatus ad amplam
Ridiculis verbis exhilarandus erit.
Quid precor absq; jocis (namq; hoc te judice dicam)
Læticiæ vobis cœna peracta dabit?
Multa quidem ridenda dabunt scurrilia dicta,
Multa inhonesta dabunt, nulla faceta dabunt.

Sed

Sed placidæ Musæ convivia casta requirunt,
Et studii cupidos non nisi honesta decent.
Ergo quibus posßit salibus tua lingua probari,
Ex hoc si cupias discere fonte potes.
Hæc prior in sese, quem dixi continet usus
Hæc prior utilitas inde petenda tibi est.
Alter inest scriptis, & cum sit rarior idem,
Postremum in versu debet habere locum
Sive aliquis noto cupiat dare scripta sodali,
Ornamenta statim, quæ cupit, inde capit.
Sive foras quisquam sit publica scripta daturus,
Hinc addet scriptis docta parerga suis.
Scripta sed ingenio cujusvis apta parare,
Non est cujusvis pectoris illud opus.
Non datur ad faciles cuivis percurrere Musas,
Nec leve, parnaßi scandere posse domos.
Crebrior est usus, cum scribit amicus amico,
Et mittit digitis verba notata suis.
Litera lecta placet, si tincta leporibus illa est,
Et placet & pariter corda movere potest.
Hæc ita si numeres, duo sunt, quibus omnis inhæret
De quo præcipiet nostra Thalia jocus.
Qua ratione queas sermone facetus haberi,
Hæc nostro cursu prima terenda rota est.
Hic brevibus præcepta tibi vulgaria dictis,
Sed tamen haud quaquam prætereunda dabo.
Sunt imitanda prius doctorum exempla virorum,
Qui lepidis salibus nocte dieque student.
Et quibus ingenium mite, atque leporibus aptum,
Compositumque jocis docta Thalia dedit.
Istorum cupide tibi consuetudo tenenda est,
Verbaque sunt animo cuncta notanda tuo.
Inde jocosa leges (nec enim confundere tutum est)
Alterius (moneo) seria claßis erunt.
Hæc ubi sint retinenda, tibi non sponte patebunt
Omnia sunt oculis perspicienda tuis.

Dissimiles Cantor discernit tempore voces,
Et varios longa judicat arte sonos.
Pictor ut in tabulis vitium cognoscere possit,
Assequitur studii sedulitate sui.
Tu quoque si studii non illius ante pigebit,
Quam decet exiguo tempore doctus eris,
Seria quæque suo, joca quælibet ordine pones,
Nec te judicium fallet, ut ante, tuum
Quæ tamen ut firma tibi perstet opinio mente,
Judicio vulgi ne moveare, cave.
Abjicienda procul stolidi sententia vulgi,
Cujus judiciis maximus error inest.
Scilicet hic dicet, studium quid inutile tentas,
Quæve supervacui meta laboris erit.
Disce quod ignoras, didicisse quod antea notum est,
Propositum finem non habet iste labor.
Iudicio poteris facili discernere verba,
Verba vel à Pythio si qua profecta Deo.
Talibus objectis, quæ sunt sine pondere rerum,
Dicere si contra, pauca sed apta velis.
Fallere dic, animo, salibus si verba recepta,
Aptaque colloquio qualibet esse putas.
Proxima sunt mala verba bonis, obscœna facetis,
Quam facile est causas error ut inde trahat?
Hæc refer, ac ipsum ne te tua culpa docentem
Arguat, ut possit crimen abesse, vide.
Disce quibus verbis jocus hæreat optimus, & quo
Ordine sint isthæc distribuenda tibi.
Nam tibi non una dici ratione tenendum est,
Et non unius nominis esse jocos.
Est alius pulcher teneroque lepore probatus,
Est alius turpi garrulitate levis.
Major in obscœno est ubertas, copia major,
Omniaque hic cornu liberiore fluunt.
Littora quot conchas, nitidum quot sydera cœlum,
Quot vagus in sese flumina pontus habet.

Quot

Quot campus flores, tot sunt, quos crimine damnat
Ars mea, ridiculi garrulitate joci.
Semper enim numero pugnant vitiosa, nec illis
Ordo quidem certus, nec modus ullus adest.
Scilicet uberius vitiorum semina crescunt,
Et variis florent pessima quæque locis,
Tu lepidos discerne jocos à turpibus, illos
Quilibet è doctis, hos rude vulgus amat.
Nam sine judicio turpissima qualibet illi
Scommata, & inprimis garrula, lingua placet.
Laudibus hunc stolidi variis ad sydera tollunt,
Pectore qui multum futilitatis habet.
Hunc audire juvat, juvat observare loquentem,
Sic neque quod vitium est, laudis honore caret.
Et quis enim dubitat? Laus est meliora probare,
Omnibus at studio est deteriora sequi.
Hæc animis hominũ nunquam quæsita recurrunt,
Cultoremque suum fertilitate tenent.
Nam quis erit, quem non etiam fecere disertum?
Facundus vitiis quilibet esse potest.
Scilicet obscœnus quæ dicat multa jocator,
Sponte fluens illi garrula lingua dabit.
Et varios risus facili ratione movebit,
Aures obtundet garrulitate tuas.
Sed quodcunque movet risus sine pondere verbum
Fallere, si lepidum credis id esse jocum.
Singula ridemus Morionis verba loquentis,
Quis tamen hæc pulchros dixerit esse jocos?
Non est judicium, non sunt ea signa leporis,
Nec tantum risus verba jocosa probat.
Suavis, & illa novem quæ digna est gratia Musis,
Symbolon est lepidi, qui valet arte joci.
Hæc equidem nullis unquam est mutabile seclis,
At solido semper firmius ære manet.
Cætera, quæ certis non sunt jocularia signis
Cognita, pro vario tempore nomen habent.

Nunc odium, nunc rusticitas, amor, impietasque,
Symbola scurrilis sunt variata joci.
Unius hæc generis sunt omnia, multa supersunt
Quæ non ingenio sunt patefacta meo.
Omnia non possum brevibus perstringere verbis,
Nec tantum numerum nostra tabella capit.
Nam memorem vel qua deceant ratione lepores,
Fama quibus lædi non inhonesta solet.
Hos aliqui pulchra specie ad convitia torquent,
Atque sibi lingua liberiore placent.
Hos quoque scurriles dices, in eoque locabis
Ordine, qui doctis non imitandus erit.
Quid moror in parvis, vitium in majoribus hæret,
Fœcundum vitium quodlibet esse solet.
Est jocus, in totum quem plenum Colchidos herbæ.
Ex re Sarcasmum Græcia docta vocat.
Ille odiis flagrat, fellisque expirat odores,
Et variis varia conditione nocet.
Hoc alii taxant alios & crimina multis
Objiciunt, Momum nec dubitanter agunt.
Hoc quoque salvificum cupiens eludere Christum,
Utitur obscœni turba prophana gregis.
Hunc, Epicurei chorus ordinis, atque Tyranni,
Et qui Plutonis castra sequuntur, amant.
Impia talis erant damnati verba latronis,
Verba quibus Christus ludificatus homo est,
Turba Papistarum studiose imitatur eundem,
Erudeit mentem quilibet inde suam.
Nil nisi de Christo jocularia verba loquuntur,
Quotquot adhuc Papam numinis instar habent.
Et tamen argutos juvat appellare lepores,
Sic speciem quandam nobilitatis habent.
Scilicet & titulis vitium, & virtutis honore
Gaudet, & eximiæ nomina laudis amat.
Atque ita quod non est, falso contendit haberi,
Hei mihi virtuti res ea sæpe nocet.

Nam

Nam sic decipitur specie mens ipsa decori,
Quod decus interdum non leve fucus habet,
Tam mala sunt vicina bonis, Sic sæpe putantur
Optima, quæ nullo tempore labe carent;
Nam quoties violis vicina urtica reperta est,
Pro nitidis quoties carpitur illa rosis.
Sic quoque virtutem vitium comitatur; & illa
Virtuti nimium proximitate nocet.
Hic equidem, pulchro ne decipiare colore,
Esse oculo plusquam te vigilante decet.
Non ea te fallant quæ sunt speciosa, nec unquam
Decipiat mentem blanda loquela tuam.
Nec moveat, quod sæpe jocis scurrilibus illis,
Applaudit variis turba inhonesta modis.
Obscœnos obscœna decent, sua quemque voluptas
Ducit, & immemorem non sinit esse sui.
Res probat artificem, Sic rem probat autor, & illa
Si valet, artificem posse valere puta.
Nulla bonos arbor poterit producere fructus,
Si mala, sed fructu quæ valet, illa valet.
Ergo sales odio plenos vitare memento,
Talis & authores non imitere joci.
Dixerit hic aliquis, si non imitanda, quid ergo
Tradis, an hic forsan perdere verba leve est?
Desine mirari vitiis fit cognita virtus,
Fitque per oppositum notior illa suum.
Sic ubi cognoris vitium, quod in arte jocandi
Additur, à falsa turpibus arte viris,
Parte fere media teneri præcepta leporis,
Et quæ sunt prima parte tenenda, tenes.
Strictius illa licet potuissent omnia tradi,
Totaque præscribi res breviore modo.
Nam quibus utendum sit ei, cui Musa placebit,
Hæc præcepta damus, non peregrina damus.
Doctus apud doctum juvenis sic esse facetus
Posset, & ingenio ludere digna suo.

Sed tamē, ut nunquam ratio hæc mutetur, & ordo;
Credere quod fieri poßit, inane puto.
Cum rudibus, cum non doctis quandoq; jocandū est,
Hinc etiam laudem forte aliquando feres.
Casus in eventu tamen est, ita rarius illud
Te facere, & magis hic abstinuisse velim,
Aut aptare jocos istorum moribus omnes,
Sive inhonesta illis sive faceta placent.
Iam quid agis? dicas, prorsus contraria dicis,
Incipit in verbis maxima pugna tuis.
Obscœnos vitare jocos inhonestaque verba,
Nunc obscœna tamen rursum imitanda doces.
Atque tuam prodis mutatis versibus artem,
Cur non quod cœpit Musa tuetur opus?
Non ita sed falso juvenis me crimine damnas,
Consilii ratio non fuit illa mei.
Trado ego, post etiam tradam præcepta jocandi,
A vitiis carmen debet abesse meum.
Qui ludit quoscunque sales, dulcesque lepores,
Recte agit, & rectis ambulat ille viis.
Non tamē hoc vitium est aliquādo levißima verba
Dicere, sed vitium est si mala verba probes.
Quis vocet audacem? qui verba audacia profert,
Quis bellatorem? qui fera bella canit,
Quis timidum? subiti qui dicit verba timoris,
Quis stolidum stolidus nominet, inde vocet?
Semper scurrilem, scurrilem nomine dicas,
Qui levis est semper, dicitur ille levis.
Obscœnos, stolidos, turpes, vanosque lepores,
Omnibus in rebus qui probat, ille probat.
Carmine te nostro satis hæc didicisse putamus,
Et non est magnus discere posse labor.
Sponte patet cuivis ratio vitiosa jocandi,
Et non obscuras res habet ista notas.
Iudicio est facili vitium cognoscere cunctis,
Qui cupit ad vitium currere, lata via est;

Sed

Sed non ſponte patet quæ ſunt bona, & abſq; labore,
Nam virtus magno parva labore venit.
Et quæcunq; valent, quæ ſunt pulcherrima in orbe,
Difficiles aditus ſemper habere ſolent.
Quos, quia docta poteſt faciles tibi reddere Muſæ,
Muſa animo ſemper ſit veneranda tuo.
Diſce bonas artes, miteſcunt pectora ab illis;
Artibus ingenuus quilibet eſſe poteſt.
His aditus patet ad noſtram quā tradimus artem;
His tibi nota via eſt, his tibi plana via eſt.
Nec poteris docte certa ratione jocari,
Si forte illorum deſtituaris ope.
Nam qui non doctus animum excoluere per artes,
Illi Cecropios non didicere ſales.
Non didicere quidem, certū eſt, nec diſcere poſſunt,
Quamvis nonnunquam ſe didiciſſe putant,
Et licet interdum verbis ridenda loquantur,
Nuſquam eſt, ſi ſpectes ſingula, mica ſalis.
Turpibus involvunt dictis quæcunque loquuntur,
Atque jocos ſola garrulitate probant.
His ego ſi cupiam certas præſcribere leges,
Iure equidem cerebri dicar habere parum.
Quid prodeſt porcis nitidas oſtendere gemmas,
Quod cumulare novis fluctibus Albis aquas:
Hoc ipſum prodeſt illis præcepta jocandi
Tradere, qui ſanctas non coluere Deas.
Perpetuo ſalibus placeant ſibi turpibus illi,
Et levibus ſtulta garrulitate jocis.
De quibus ut vitium certo cognoſcere poſſis
Diximus, & ratio jam patet illa tibi,
Nunc ea quæ placidas deceant jocularia Muſas,
Dicam ex propoſiti conditione mei.
Scilicet argutus in vocibus optima laus eſt,
Verbaque nonnullis ingenioſa placent.
Salſaque delectant, ſunt inſperata movendo
Pectore, ſi videas, omnibus apta jocis.

Sæpe

Sæpe suis ornata modis: quæ dicta loquendo
Finguntur, varia conditione valent.
De quibus hæc monuit tantum mea Musa legentem
Pauca ea sufficiant, & monuisse sat est.
Hæc tibi sunt longum potius discenda per usum,
Disce per exemplum sponte disertus eris,
Disce tamen magno non dediscenda labore,
Disce sed à doctis tu quoque doctus eris.
Quæ perfecta putes, exemplis fidere tutum est,
Optima quæque prius sunt imitanda tibi.
Si quis erit forsan nulla ratione facetus,
Qua melius fugias arte docendus eris.
Sæpe refert tecum quam sit scurrile locutus,
Et pone ante oculos singula verba tuos.
Illud, & illud habet vitii, multa impia dixit,
Multa supercilio non patienda gravi.
Nil habet eximium, nulla est ex parte facetus,
Non levitate animus non feritate caret.
Hæc refer, hinc illum caute vitare memento,
Hinc odio dignum quolibet esse puta.
Non mirere hominẽ, non commoda verba loquentis
Tu mihi (dic) certe non imitandus eris.
Nec te decipiat, species non fallat honesti,
Quique aliquando decus non leve fucus habet.
Scilicet ut sapiens videatur & optimus ille
Efficit, in totum qui ratione caret,
Ex stupido placidum Regem facit ille bubulco,
Fœmina quæ certo est, virgo sit ille facit,
Denique Tænarius num decipit omnia fucus,
Fallere quem quæso non color ille potest?
Tu tibi fac constes, multùm constantia prodest,
Omnibus à vitiis hac duce tutus eris.
Sive aliquis tibi laudarit, quem laude putabis
Indignum, & dicet, Fac imitere virum.
Firma tibi stet non dubia sententia mente,
Persuasus verbis ne capiare, vide.

Sive aliquis forte immerito reprehenderit illum,
Quem veris dignum laudibus esse scias.
Laudibus est dignus, præstet sententia firma,
Et fac ne cedant verba aliena tuis.
Sic neque quæ splendent peregrino tincta colore,
Nec mentem fallat res speciosa tuam.
Hæc ubi cognoris, nec enim cognosce pudebit,
Quid salibus possis experiare licet.
Experimenta docent, & cuncta per illa probantur,
Ante oculos semper stant manifesta tuos.
Fallere non possunt, sed demonstrata relinquunt,
Singula judicio quæque notanda tuo.
Ac velut Aurifaber fulvum probat ignibus aurum,
Imponens calidis frusta cremenda focis.
Sic quascunque artes certo experientia signo,
Has probat esse bonas, has probat esse malas.
Tu quoque quid possis, quid desit in arte jocandi,
Scilicet experiens omnia, certus eris.
Addiscenda quidem præbebit plurima tempus,
Emendanda tibi quælibet hora dabit.
Quotidie melior ratio tibi sponte patebit,
Et studio accedet pars quotacunque tuo.
Mutua namque dies docet, & se corrigit ultro,
Ipsius illa etiam docta magistra sua est.
Iamque ubi ridiculis fortasse jocabere dictis,
Et sociis dices verba faceta tuis:
Præcipue est pulchri ratio tibi habenda decori,
Semper honestatis te meminisse decet.
Semper honestatis, semper meminisse decori
Dicere sive velis seria, sive jocos.
Nam licet hæc forsan possint contraria dici,
Neutrum sermoni debet abesse tuo.
Hæc conjuncta placent, & tu conjungere noris
Delectant lepidis seria mixta jocis.
Qui gravis est semper, nimio qui laudis honore
Ponderat extollens seria crimen habet.

Sic

Sic vitium est, salibus nimis indulgere jocisque,
Nec nisi perpetuo verba jocosa loqui.
Non decet hæc teneras effusa licentia Musas,
Contemptum studii res habet illa tui.
Seria contineant (sed si permittat honestum)
Addita, ceu passim sparsa, parerga jocis.
Non alios carpant, sed sint sine morsibus illi,
Non habeant odii semina tecta tui.
Temporibus varient, varient ratione locorum,
Hic ego te fieri Prothea posse velim,
Si tibi cum lætis, si cum lugente jocandum est,
Non uno fieri debet utrumque modo.
Namque ea sollicito quæ sunt astricta dolore
Pectora Cecropiis sunt inimica jocis.
Scilicet hæc ratio pugnantia fecit, utrunque
In rebus proprium jussit habere locum.
Ergo simultates, odium nec rarius iram,
Nata ex Cecropiis vidimus esse jocis.
Sicut & herba etiam, si quis bene nesciat uti,
Sæpe eadem prodest, sæpe eademque nocet.
Dic mihi cum salibus quæ convenientia luctus?
Conveniat rapidis sic quoque ovile lupis.
Crede mihi, nam certa fides, res ipsa probata est,
Mœrorem ex salibus crescere posse tuis.
Nempe aliquis justum qui perfert corde dolorem,
Ludibrio forsan se putet esse tibi.
Et sive illa tuæ duræ sententia mentis,
Sive loco forsan suspicionis erit.
Te tamen invisum post illud semper habebit,
Et capiti optabit tristia multa tuo.
Hæc vitare decet mala, ne moveatur ad iram,
Aut te tale aliquod crimen habere putet,
Ergo jocis, ubi tristis adest, vel parcius uti
Vel potius risus continuisse decet.
Si tamen est illi mitis natura, nec illam
Urit adhuc ardens asperitate dolor.

Pro-

Proderit ad curas animi luctumque fugandum,
Ingenuos illi parce adhibere sales.
Sin minus & verbis arcem lenire dolorem
Non licet, inprimis abstinuisse velim.
Talia quæ præsens & tempus & hora monebit,
Consilium est caute velle notare meum,
Scilicet hæc varie varias mutantur in horas
Et retinent miras dissimilesque vices.
Non status est idem rerum, neque semper in una
Quælibet, aut simili conditione manent.
Omnia dependent tenui mortalia filo,
Perpetuo nulli sors satis æqua manet.
Gaudia non semper, non semper verna manebunt
Tempora, post paucos nubila facta dies.
Nunc tibi tristitiam vario ex discrimine rerum,
Nunc aliud tempus gaudia multa dabit.
Nunc aliud dabit officium, variosque labores,
Nunc aliud rursum quod mediteris opus.
His aptanda tua est ratio diversa jocandi,
Flectenda in multos & varianda modos.
Nec decet in causis ulla ratione jocari
Consiliisq; hominum, quæ grave pondus habent.
Hic potior gravitas, magis his sapientia rebus
Convenit, hic risum te cohibere decet.
Sacra Deo quicunque facit, meminisse jocorum
Sic velit à læso numine crimen habet.
Hæc moneo exemplis tantum, sexcenta supersunt,
Quæ jam sunt versu prætereunda meo,
Nam mihi si voces atque ora sonantia centum,
Si vel mille queat lingua referre sonos:
Omnia non possem versu pertexere nostro,
Nec sterilis tantum Musa subiret onus.
Sic variat tempus, sic omnia tempora cedunt,
Sic etiam moneo tempore cuncta notes,
Nec locus est idem, terra non semper in una
Vivitur, hoc etenim vivere turpe putant.

Te non perpetuo credas sine crimine magno
Posse domi ad patrios delituisse focos,
Sisyphides fama celebris non esset Vlysses,
Nec tam clara viris insula Graja foret:
Si non tot populos, quondam vidisset & urbes,
Errans in vasto tempora longa mari.
Si non Alcides passim tot monstra necasset,
Forte suo minime notior esset avo.
Ergo tot exemplis motus, si invisere tentes
Diversis forsan dissita regna plagis:
Nosse hominum mores, vitam, studiumque fidemq;
Nosse quibus facile mens capienda modis.
Ex studiis adverte animos, signisque loquendi,
Ex verbis etiam signa aliquando petes.
Inde tuos aptare jocos, aptare lepores
Noris, & ingenium fingere posse tuum.
Si fueris Romæ, consuescas moribus urbis,
Sæpe animum tibi sunt jura datura novum.
Et quascunque alias venies peregrinus in oras,
Vna eadem maneat regula firma tibi.
Proderit & qualis persona sit ipsa, videre,
Dicere cui deceat verba jocosa viro.
Disce quibus juvenes salibus capiantur, & illi
Tempore quos canos longa senecta facit,
Disce quid edoctis placeat cognoscere dignum,
Disce quibus salibus mens erit apta capi.
Denique quid placeat semper servato, nec unquam
Omnia quæ debes te didicisse puta.
Quæ deceat Regem vestis, quæ forma potentem,
Vsu perpetuo pictor, & arte tenet:
Cuique suos homini novit tribuisse colores,
Non similes vestes Crœsus & Irus habent:
Sic quoscunque jocos quævis persona requirat,
Hæc sunt ingenio præmeditanda tuo.
Nunc tibi cum noto, nunc hospite sæpe jocandum,
Crede mihi simili non ubicunque modo.

Quoslibet

Quoslibet ille sales laudat, licet autor eorum
Siquid inest vitii dissimulare cupit.
Hic licet interdum patulas tibi prabeat aures
Et dicat, lepidus certe erat ille jocus:
Non tamen his satis est tutum confidere verbis
Hæc levitas nullo fine probata fuit.
Verba quid esse putas stolida nisi murmura linguæ.
Vocalemque hominis qui venit ore sonum?
Verba nitore suo fallunt hominesque Deosque,
Et non sunt uno suscipienda modo.
Hæc feriunt patulas concinnis vocibus aures,
Et rapiunt animos ad sua jussa leves:
Non ea te fallant subito, quia fallere possunt,
De fuco tali verba priora nota.
Si peregrinus adest, debet pudibundus & aptus,
Conveniensque hominis moribus esse jocus,
Non levis aut petulans, non ullis vocibus audax,
Qualis sæpe animo liberiore venit.
Quam potes in melius totam deflecte loquelam,
Iudicium discas fallere posse tuum,
Si rudis est, ruditas non fit tibi causa jocandi,
Si timidus non sit turgidus inde jocus:
Sed moneo si quis fuerit peregrinus, an idem
Ingenua cultus sit quoque ab arte, vide:
Si fuerit, certa poteris ratione jocari,
Ac velut ad socios verba jocosa loqui,
Namq; hominum prodest tibi conciliare favorem,
Sic natura homines conciliare docet.
Sin minus, abstineas, & sit tibi magna jocari
Relligio, sapiens inde putandus eris,
Nam cui non doctas mens est exculta per artes,
Hunc merito rabidam dixeris esse feram:
Ille jocos; ut contemnit, sic omnia dicta
Perdis, & in verbo est gratia nulla tuo:
Non illi præcepta damus, rudiore Minerva
Non nostris numeris erudiendus erit.

Cui

Cui placet, & cordi nativus splendor honesti,
Me legat, & lecto carmine doctus erit.
Nec sibi, quod leviora canam, quasi vana putentur,
Præceptis credat non opus esse meis;
Parva quidem, & tenui de stirpe profecta fatemur,
Illa fuere prius præcipienda mihi.
Tu quia parva etiam discendi tempore prosunt,
Esse aliquid saltem carmina nostra puta,
Iudicioque tuo licet hæc leviora putentur,
Forte tamen fructus non nihil inde feres,
Tempus erit, certe quo te meminisse juvabit,
Et dices, hæc me non didicisse pudet.
Nunquid ab exiguis bene si cumuletur in unum.
Magna etiam addito quotidiana facit?
Quod si nostra minus, quæ dico, valere putabis,
Inque animo nequeunt pondus habere tuo:
Quando cupis parvis summa affectare relictis,
Icarii casus te meminisse decet.
Sic tenues forsan non aspernabere Musas,
Et quæ de fundo paupere donadamus.
Fallor? an ista tuam subit hic persuasio mentem,
Omnibus ut primum parva tenenda putes?
Certe equidem non vana tuæ est sententia menti,
Scilicet expertus quæ facis, illa facis.
Nunc nostræ pars una viæ, pars prima peracta est,
Hic teneat calamum nostra Thalia suum.

Finis Libri Primi.

MATTHÆVS DELIO

DE

ARTE JOCANDI,

LIBER SECVNDVS.

RVrsus ades nostro jam, nō invita labori
Carminis Euphrosine pars quotacunque mei,
Nunc magis audaci tētabimus æquora cursu,
Ibit & in mediis nostra carina vadis,
Perge etiam juvenis veloci insistere remo,
Et nihil obstabit quod remoretur iter.
Non te pœniteat studii, pudeat ve laboris,
Disce animum studio vincere posse tuum.
Doctorum studii nullum pudet ante virorum,
Vltima quam summum finiat hora diem.
Est illi didicisse animus cum plurima norit,
Cur ita? Quod semper discere possit habet:
Et te pœniteat? Cui flos tener ille juventæ
Floret, & est nulla barba resecta manu?
Si sapis, adpropera, cœptoque insiste labori,
Crede mihi ex illo commoda multa feres,
Nec quia prima tenes & parva Elementa jocandi
Omnia perfecte te didicisse putes,
Vmbra tibi visa est, & non nisi imago leporis,
Sed quæ digna tamen cognitione fuit.
Nunc tibi quærendi fontes, animoque notandi,
Crede mihi dulces inde bibuntur aquæ.
Nulla suis sine principiis, sine origine certa est
Cognita, nec causis res caret ulla suis.
Quas bene qui potuit propriis cognoscere signis,
Iudicio felix dicitur ille meo.
Hæc quoque proveniunt de fontibus omnia certis
Quæ tibi jam lector nostra Thalia dabit,

Sunt

Sunt ea limitibus certis inclusa modisque,
In quibus & fines contineantur habent,
Quos ultra & citra, nunquam consistere possunt,
His etenim lepidi stantque caduntque joci.
Sunt gemini fontes, duplex & origo leporum,
Omnes stant duplici conditione sales.
Scilicet aut rebus varie nascuntur ab ipsis,
Aut bene fingendi nominis arte valent,
Omnibus his uti varia ratione licebit,
Sed tamen unius maximus usus erit,
Sæpe quidem poteris de te permulta jocari,
De rebus dicens multa faceta tuis.
Hic tibi cum pulchre tu sis tibi cognitus ipsi,
Præceptis statuo non opus esse meis.
Nam vitæ fortuna tuæ, studiumque laborque,
Quæ dicas quovis tempore, multa dabunt,
Id moneo tantum, De te quæcunque loqueris,
Orna simplicibus singula verba jocis,
Ne (quod jam multi faciunt) videare jocando
Egregias laudes attribuisse tibi,
Quin etiam de te parce decet ipse joceris,
Inque tuo semper nomine parcus eris.
Et si non rerum sit mentio facta tuarum,
Te quoque posse velim non meminisse tui.
Quod si forte aliquis dubitans tua nomina quærit,
Fortunæque velit certior esse tuæ,
Quærenti placide verbis occurre facetis,
Vt tamen his verbis certior esse queat.
Omnia si dicas, ne sis contemptior ulli,
Neve aliis multo dignior esse velis,
Scilicet hic laus est, posse inter utrumque manere.
Quod medium est, nunquam nō solet esse bonum.
Tu quoque perpetuo medium tenuisse studebis,
Sic poterit salibus crimen abesse tuis,
Sic poterit nunquam de te sine laude jocari,
Sic poteris lepidis nomen habere jocis.

Verum

Verum ubi propones alios tibi, de quibus ausis,
Cum placet, interdum verba jocosa loqui,
Longe aliis te posse opus est rationibus uti,
Hic via nunc alia est aggredienda tibi,
Multa quidem sunt de multis jocularia dicta,
Deque alio quivis dicere multa potest.
Sed quam difficile est summam Virtutis ad arcem,
Quam grave in æthereas scandere posse domos.
Tam minime hic facile est, odium vitare jocanti,
Et salibus nulli displicuisse tuis,
Hoc opus, hic labor est, certas præscribere leges,
Non capit incertos nostra tabella modos.
Mille hominum species, animorum mira voluntas,
Quotque homines, totidem pectora semper erunt.
Quis dabit exiguo præcepta inclusa libello?
Vt nihil hic sese præteriisse putet?
Vix ea præstiterint Musæ, vix augur Apollo,
Vix tu carminibus Naso poeta tuis,
Quo magis agnoscens, quã sit mihi curta supellex,
Impar opus fateor viribus esse meis.
Cur igitur (dices) tentas præcepta jocandi
Scribere? tam vanum quid meditaris opus?
Desine, non equidem nostra est hæc culpa, nec artis,
Nec mea (quod dicis) carmina crimen habent,
Humanæ in culpa est dubiæ inconstantia mentis,
Quæ non ut debet constat ubique sibi.
Ille jocos de se fictos probat, ille superbe
Culpat, & in pejus singula verba rapit.
Quæ quia mutari nequeunt damnabimus artem?
Dicemusque omnes crimen habere jocos?
Non ita, nec visum est illis, quibus ordine certo,
Hanc artem primum cura docere fuit,
Quos quia nos sequimur, quia nõ pudet esse sequutos
Iam dabimus leges, hic quoque ut ante, tibi.
Primo igitur, de quo possis, liceatque jocari,
Perspice, delectus semper habendus erit.

Elige

Elige non falsos quibus es conjunctus amicos,
Semper ab ignotis abstinuisse velis,
Si tamen ignotus lepida te voce lacessat,
Ne timido credat pectore, redde vicem.
Parque pari referens, dicas quod mordeat ipsum,
Hoc licet, hoc etiam res aliquando jubet.
Interdum siluisse decet, nocet esse jocatum,
Parque pari minime, velle referre decet.
Nempe ubi præpollens aliquis virtute, potensque
Ingenua de te luserit arte sales,
Namq; animi indicium est agrestis, ad omnia dicta
Mutua & ad lepidos verba referre jocos,
Tu concede aliquid majoribus, artis id ipsum est,
Et bene quæ nosti dissimulare queas,
Verum apud æquales æqualibus utere verbis,
Cuique jocis licet hic reddere posse jocos,
Sed tamen invidiæ morsus rabidissimus absit,
Omnibus in dictis semper apertus eris,
Quæ dictis joca, simplicibus dic omnia verbis,
Ne quisquam credat præmeditata loqui.
Cur ita? Ne forsan videare instructus ad illud,
Vt peteres audax scommate quenque tuo.
Sic inimicitiæ facili ratione parantur,
Inde simultates, iraque longa venit,
Sæpe alios lauda, poteris laudare jocando,
Crede mihi multum laus sua cuique placet.
Absentes nunquam socios reprehende jocando,
Hic moneo semper parcior esse velis.
Quid multis? Genus hoc totū brevitate probandū est,
Nulla hic ubertas, copia nulla placet.
Si vis liberius, neque non cum laude jocari,
Elige res medias, sponte disertus eris.
Multa potes lepidis generatim dicere verbis,
Communes facile est ludere posse sales,
Vt neque recipiant ullo tua nomina verbo,
Atque ideo de te non videare loqui,

Nec

Nec tamen ex aliis sumpti forte esse putentur
Deque aliis igitur non videare loqui,
Hæc duo te jubeo vitiosa extrema notare,
Quæ sunt in lepidis parte ab utraque jocis,
Est aliud, cum scurrilem declinat ad artem,
Et vagus existens diffluit inde jocus,
Est aliud, vinclis nimium cum stringitur arctis,
Vt nullas vires possit habere lepos,
Hoc opus hic labor est, medium tenuisse jocanti,
Difficile, excessus posse notare duos
Nam facile in vitium possint transire lepores,
Et facile est metam transiliisse tibi,
Sunt exempla domi, sunt & foris, obvia passim,
Sive aliquis dicat seria, sive jocos,
Est labor, est studium, virtus, fortuna, voluptas,
Millia sunt quæ non nostra tabella capit.
De Veneris studio nunquid permulta jocantur?
In sua vulnificus quos juga traxit amor?
Et tamen hoc ipso meretricia verba loquuntur,
Omnia lascivis sunt tibi plena jocis.
Illa equidem non est ratio laudata jocandi,
Nec meruit salibus nomen habere meis.
Cur ita? Nam late nimis extra septa vagatur,
Nec se limitibus continet illa suis.
Vincula solvuntur nimium laxata jocandi,
Et salibus parvis magna fenestra patet.
Sic ubi, in angustos nimium concludere fines
Cœperis, ingenuum qui valet arte jocum,
Desinit esse jocus, neque jam delectat, & illis
Quas ita designat, gratia rebus adest.
Res patet exemplis, toto est notissima cœlo,
Hæc bene res animi est notificanda tuo.
Si merita cupiens virtutem extollere laude,
Virtutem summum dixeris esse bonum.
Dixeris egregie, nec habebis pauca Sophorum
Quæ sunt judicio congrua scripta tuo.

Sed tamen hic nullus lepor eſt, & nulla venuſtas,
Nemo poteſt tali lætus abire joco.
Quandoquidem, nimis anguſtus quia ponitur illi
Terminus, ut fuerat deſinit eſſe jocus.
Verum equidem melius tangentem ſydera montem
Finxeris, & ſylvas quæ remorentur iter,
Finxeris in celſa Virtutem rupe ſedere,
Indutam palla verſicolore Deam.
Atque ſubinde alios homines aſcendere ad illam
Conari, media ſed remanere via.
Audiat hæc aliquis, perrumpet pectora riſu,
Ingenii laudans flumina magna tui.
Talia multa dabit variarum occaſio rerum,
Quæ valet in lepidis non minus arte jocis.
Cum licet hanc ſerva, nunquam obſervaſſe pigebit,
Vt facile placeas omnibus, illa dabit.
Namque modis quia delectat variatio miris,
Atque oculos hominum res variata capit.
Hæc dabit æſtivis depictum floribus hortum,
Ex qua decerpas dulcia multa tibi.
Scilicet ingenua deductos arte lepores
Et multa dignos nobilitate jocos,
Nunc tibi de Muſis nunc de Virtutis amore,
Deque aliis rebus verba jocoſa dabit.
Sed quoniam varie variis mutatur in horas,
Nec ſemper conſtans una eademque manet,
Forſitan eveniet, facile ut labore jocando,
Et ſubito in varios diripiare modos,
Si quoſcunque jocos veniens occaſio præbet.
Intempeſtiva garrulitate probes,
Vt bene & arte ſales omnes diſtinguere poſſis,
Sunt ea quæ dicam pauca tenenda tibi,
Fallitur ingenuo quicunque ita ſenſit, ut aptam
Materiam ſalibus quamlibet eſſe putet.
Omnia quæ duris deſignant triſtia verbis,
Omnia quæ dici ſeria dicta ſolent,

Hæc

Hæc lepidis prorsus salibus contraria dices
Commodus & pulcher non erit inde jocus.
Quo magis observes quæ tempus & hora requirat,
Atque ea præcipue commoditate probes.
Ingenium cujusque notes & pectora noris,
Nosse quidem semper proderit illa tibi.
O quantum est novisse, hominũ quid pectoris intus
Vim certe, ut placeas omnibus, istud habet.
Ergo ubi cognoris mores, studiumque fidemque,
(Nam prius haud quaquam luseris arte sales)
Inde jocos & verba jocis affingere noris,
Conveniant rebus verba jocosa suis.
De Veneris puero jocus est jucundus amanti,
Non illi multum bellica Diva placet.
Sic Helenæ laudes Paridi, dictumque placebant,
Ah pereant per quos fœmina crimen habet.
Sic jucundus erat jocus hic, & amabilis illi,
Bella gerant alii, tu Pari semper ama.
Non sonus, aut pulchrum deceat quæ cantio Phœbũ,
Musica non illi dulcior ulla fuit.
Musa Poëtarum jocus est, Namque omnia vates,
Quæ sunt de claris vatibus orta juvant.
Fabula ficta placet, sunt omnia grata Poëtis,
Quæ joca de Musis commemorare potes.
Ergo ubi Phœbeo cum vate jocabere vates,
Dicere multa licet, fingere multa licet.
Finge vel Aonidum montem, vel pulchra sororum
Nomina, finge aliud, sponte disertus eris,
Nablia finge (licet) cytharas, chelesque sonantes,
(Fictio crede mihi) plena leporis erit.
Sydera convexi vaga qui scrutantur olympi,
His solet ex stellis gratior esse locus.
Hic Caper, hic Pisces, Gemini, Leo, Cancer & Vrsus
Ficta locum salibus materiemque dabunt.
Quid, quos ipsa sales etiam convivia præbent
Enumerem? numero cedet arena meo.

Et fora conveniunt, & res sunt apta jocanti,
Sæpe est in medio fabula dicta foro.
Iudicibus duris nunc mens flectenda lepore est,
Iamque favor populi conciliandus erit.
Tam Consul, Iudexque gravis, lætusque Senatus
Mitescet salibus, quam fera turba tuis.
Fabula ficta placet communiter omnibus illis,
Duritie qui non ferrea corda gerunt.
Namq; animos hominum recreat, curasq; resolvit,
Et paucis salibus seria magna tegit,
Vidimus hac juvenes lætari pectore multos,
Hic hilares olim vidimus esse senes,
Hic Phrygiæ doctum scriptorem imitare fabellæ
Fac, sit ut ille joci pars quotacunque tui.
Ille venustatis semper, blandique leporis,
Pulcher figmenti doctor & autor erit.
Ille quidem pavidis mæstissima pectora curis
Liberat, ex illo fonte disertus eris.
Hinc, apud unanimes si convivator amicos
Adsis, haud dubites, verba jocosa loqui.
Acubi de lepidis rebus narratio cœpta est,
Si jucunda aliis commemorare velis,
Omnia perspicue ut narres, sub imagine quadam,
Effigies verbis est adhibenda tuis,
Adde notas, signa adde rei, memorandaque multa,
Adde notam certi temporis, adde locum.
Iunge hominis mores ridicula verba locuti,
Et subeant animum millia multa tuum.
Adde rei flores, & persuadentia verba,
Vt nisi quod verum est nil videare loqui.
Non tamen ut Mimus quidam videaris & actor,
Corpore vel manibus gesticulator eris.
Non agis, at narras, narrantis munere fungi
Talibus in rebus te meminisse decet,
Est opus hic potius cultæ tibi dote Minervæ,
Qua prohibente male quæ facis, illa facis.

Narranti

Narranti vultus non durus & horridus adsit,
Nunc vacuum rugis tristibus esse decet.
Namque decens facilem commendat gratia vultū,
Et magis interdum quam iocus ipse placet.
Quis dubitat? Quos ille iocos quæ fronte lepores
Dicet, cui faciet Stoica, torva, ferox?
Qualibus ille oculis narrabit & ore fabellam?
Denique digna ioco qua ratione dabit?
Scilicet ornatum vultum tibi detrahit omnem,
Omnia dicendo prodigiosa facit.
Vt bene Thersites norit præcepta iocandi,
Ac sciat ex illis multa faceta loqui.
Si tamen incipiet vultu nova verba sereno,
Turbabit dictis pectora læta suis.
Denique si loquitur, semper monstrosa loquetur,
Verbaque certe ipso pone timenda sono,
Causa erit in tetro distortus corpore vultus,
Causa erit indignis lingua tremenda modis.
Tanta creatricis, vulgata potentia, regnans
Naturæ, lepidum sola gubernat opus,
Illa homines ut displiceant hominique probentur,
Illa alios aliis posse placere dedit,
Illa dat ingenium, formam decus atque lepores,
Illa dedit vitæ munere posse frui.
Est aliquid studium, laudatur carmine vatum
Artifices doctos quos facit, usus, habens.
Hunc quoque naturæ forsan conferre licebit,
Illa tamen multo est nobilitate prior.
Donaque naturæ nullo vincuntur ab usu,
Nam divina homini, quæ dedit, illa dedit.
Nota quidem res est, sed non indigna probari,
Et cur non etiam nota probare licet?
Cur dedit ingenium studiis natura paratum,
Illi qua dederit conditione, vide.
Non habeat tantum, sed quælibet ardua tentans
In studio, ingenii vi superare queat.

Hæc illi (quia ſunt etiam) leviora videntur
Quam ſtolidæ linguæ garrula lingua loqui.
Sic aliquos vidi non præmeditata loquendo
Ingenuis verbis multa faceta loqui.
Cauſa erat eximia naturæ dote juvari,
Cauſa erat ingenium tendere poſſe ſuum.
Non ea contingunt præſtantia dona cuivis
O quam naturæ eſt rarius illud opus.
Sive tamen magna ingenii te dote beavit,
Sive tibi pectus vix mediocre dedit.
Hæc animo ſubeant, Non omnia poſſumus omnes,
Nec dubites ſemper multa deeſſe tibi,
Vtere natura, præſtantibus utere donis,
Nullus id infandum credidit eſſe nefas.
Dic alias tamen eſſe aliquid, dic poſſe volentes
Omnia, nec ſtudio nil tribuiſſe velis.
Illa adeo nunquam ſubeat perſuaſio mentem,
Omnibus ingeniis acrius eſſe tuum
Vix ſibi in humanis conſtat mens optima rebus,
Senſibus interdum fallitur illa ſuis.
Sæpe quis ingenium ſibi finxerat eſſe jocoſum
Qui tamen in ſalibus prorſus ineptus erat.
Atque ita dum valde lepidus contendit haberi,
Quam cupit, eſſe minus nil tamen eſſe poteſt,
Et quia ſe credit multum præſtare jocando,
Errore in ſulſus fit magis iſte ſuo.
Quo magis ô juvenis, ne talis opinio fallat,
Neu tali ſenſu decipiare, cave,
Nec tantum, ingenium ſi non eſt dotibus amplum,
Te pudeat vitæ pæniteatque tuæ,
Crede mihi, in centum vix eſt mortalibus unus,
Qui flecti ad lepidos non queat arte jocos,
Arte, feras rabidos urſos, aproſque domamus,
Ars homini in ſtudiis omnia poſſe dedit.
Omnia vincuntur ſtudio, ceduntque labori,
Perfectumque facit quod labor urget opus,
Ergo

Ergo jocos lepidosque sales evince volendo,
Naturæ studio damna repende tuæ.
Ingeniumque decet mediocre, impendere curam,
Vt studio superes, sic quoque magnus eris,
Quandoquidē non forma decus modo corporis addit
Ars etiam claros ingeniosa facit,
Autor & inceptor Phrygiæ scriptorque fabellæ,
Corpore deformis, pectore clarus erat.
Vt careat forma, nihilominus arte probatur,
Et certe multum, qui valet, arte valet.
Nota cano, sed nota etiam didicisse juvabit,
Forsitan & laudis nonnihil inde feres,
Hactenus ex rebus qua sit ratione jocandum
Imparibus docuit nostra Thalia modis,
Quæ bene si noris, neque enim novisse pigebit,
Ingenii vires experiare tui,
Nec nostris contentus eris, majora requires,
Vt facile invenias jam tibi plana via est.
Vtere carminibus certo velut indice nostris,
Sic instar statuæ Mercurialis erunt.
Quot cœlū stellas, quot habet mare flumina & undas
Quot nunquam domitas sylva Bohema feras,
Tot (mihi crede) dabit dulces res ipsa lepores,
Ante oculos veniet commoda & apta tuos.
Sive petis juvenem, cum quo ratione joceris,
Mille jocos ætas lætior illa dabit.
Quoque valent studio, multum jocus inde placebit,
Inde etiam noris ludere posse sales,
Seu te forte juvat, vetulis quæ convenit ætas
Et cupis annosos exhilarare senes,
Sponte tibi obvenient tardæ placitura senectæ
Plurima, quæ varium tempus & hora dabit,
Plurima dicentem quoq; præsens causa monebit
Præsentis memorem temporis esse decet.
Hæc memori si pauca animo præcepta tenebis,
Acceptus salibus cuilibet esse potes.

Si modo res curæ est, ut convenientia spectes,
Quæ bene conveniunt, omnibus illa placent.
Quam tibi præcipue decet hîc impendere curam
Namque joci ex rebus crebrior usus erit.
Quandoquidem bene prævisam rē verba sequuntur,
Ponenda in verbis ultima cura tibi est.
Et tamen & varie nihilominus ille probatus,
Qui venit ex dicto conveniente lepos.
Hic vatum exemplo te fingere posse necesse est
Plurima, fingendo nam jocus ille valet,
Quæris an hoc liceat? Mendaces fingere nugas,
Non licet, at doctis fingere multa licet.
Plurima dictiloqui norunt effingere vates,
Hæc laus officii est Musa diserta tui.
Inde Poëtarum summus laudatur Homerus,
Hinc & Virgilii fama perennis erit.
Sæpe movet mentes hominum sub imagine veri.
Sæpe etiam meruit fabula ficta fidem.
Objicis, Indocti quoque plurima fingere norunt,
Et qui non possit fingere nullus erit.
Est ita, sed stolidi sunt prorsus inania vulgi
Figmenta, & nullis ingeniosa modis.
Quis probet ingenium? si mundos mille veraces
Et fingas motum quenque tenere suum?
Quis figmenta probet? si quemlibet absque labore
Cœlestes dicas scandere posse domos?
Si dicas magno ruiturum pondere cœlum,
Quis nisi mentis inops hæc tua dicta probet?
Ergo ea quæ finges, moneo sint proxima veris;
Absurdum dictu quod foret omne fuge,
Quod nisi, quid tempus, quid postulet hora, videbis
Quid persona, locus prorsus ineptus eris.
Fingito, sed studeas ne quis mendacia credat,
Neve queri possit dura fuisse cave.
Sed probat in verbis adjunctos arte lepores,
Et tamen hæc eadem ficta fuisse neget.

Hæc

Hæc eſt nobilium vigilans prudentia vatum.
Et ſtudium & facilis vena imitanda tibi.
Ingenii vires, ars exercenda, labores
Vincendi, & parvo tempore doctus eris.
Labitur in pejus ſi ſit rubigine læſum
Nec manet in genio quod fuit ante decus,
Sicut in umbroſis, & ſole carentibus illis,
Si qua fuere diu forte repoſta, locis.
Si non verſentur, caneſcunt tempore parvo,
Et gelido cernas omnia plena ſitu.
Ergo intende animum, videas quæ nomina poſſint
Ad lepidos flecti qua ratione, jocos.
Multa quidem natura illis inidonea fecit,
Quæ nimis ingrato ſunt metuenda ſono.
Multa tamen reperire licet ſatis apta jocando,
Multa tibi Latium, Græcia multa dabit,
Tu modo ne tumidus forte iſta vocabula ſpernas,
Nec dicas pueris convenit iſte labor,
Crede mihi, lepidi nonnunquam gratia dicti
Non levius, quam vox ſeria, pondus habet,
Hic quoque ſunt leges, ſunt & præcepta, ſed illis
Non nimis aſtrictum legibus eſſe volo:
Nec tamen audacter jubeo violare, quid ergo?
Vt ſemper maneas inter utrumque volo.
Litera nominibus nonnunquam dempta venuſtis,
Aptior eſt multo quam fuit ante, jocis,
Addita nonnunquã placet, & lepida arte probatur
Non ſine præſcripta conditione tamen,
Sæpe etiam in lepidis mutantur ſyllaba dictis,
Sæpe etiam verbo ſyllaba dempta placet.
Quis negat eſſe jocum? cum dicitur aptus arando
Nominis Orator proximitate ſui?
Vertitur hic vocis ſonus, & natura, decuſque
Inque alium migrat quam fuit ante ſtatum;
Nomine ſic medicus poterit mendicus haberi,
Irus & inverſo nomine Cyrus erit.

Vidi ego qui placidus memorabile nomen habebat,
Vt versa est acidus syllaba, dictus erat,
An male detortis amentem vocibus illum
Dixeris omnino qui furiosus amat?
Et facili fiet studio, nulloque labore,
Vnica mutetur litera, risus erit.
Tantane de summo til inata potentia cælo?
Aut Iovis imperio litera parva tibi est?
Tu superas variis mutatum Prothea formis,
Ipse etiam inferior Polypus arte tua est.
Ille potest vario sese mutare colore,
Sunt habitus varii corporis inde sui.
Tu facili ratione potes, vitamque statumque
Et formam nullis non variare modis.
Fit subito si tu cupias, ex divite pauper,
Et subito magnus qui modo parvus erat.
Sicut es, in nostro tu pars eris una libello,
Te semper multo laudis honore colam.
Scilicet ut reddas mutato in corpore formam,
Restituasque iterum quod fuit ante decus.
Non tuus hic ludus, seu transformatio rerum,
Sæpe jocosa fuit, seria nulla fuit.
Tu quoque Cecropii juvenis studiose leporis
Hanc cole, & his dignam versibus esse puta.
Atque ubi culta satis fuerit, si culta placebit
Vlterius studio progrediare tuo.
Nomina finge suis bene convenientia rebus,
Nec tantum efficiat litera sola jocum.
Nomina facta placent, dictus pro divite pauper
Impositoque alio nomine risus erit.
Fac hunc Alcidem, fac illum Thesea magnum,
Fortis in infernis vallibus iste fuit.
Hic est dic Orpheus Cythara qui ludere novit,
Ille canens fidibus doctus Arion erit.
Ille vel ille alii, Nam plurima nomina possunt
Egregia effingi, sin minus, apta tamen,

Sic vafer ingenio poterit vulpecula dici,
Euclio qui nummos numinis instar habet.
Eloquio clarus culto facundus Vlysses,
Iustus Aristides dictus amator erit.
Sexcentis aliis poteris facundus haberi,
Et præsens tempus millia multa dabit.
Quid queat ambiguis in vocibus esse leporis,
Quid possit dubitans ἀμφιβολία, vide.
Quid valeant lepidis conficta ænigmata verbis,
In quibus ipse jocus seria multa tegit.
Quid referam veterum clarissima dicta Sophorum?
Quæ sunt in sensu pulchra faceta gravi
De quibus egregius nunquam moriturus Erasmus,
Eximio studio condidit autor opus.
Hinc aliquis referens vel bis duo verba jocando,
Sæpe habitus magno dignus honore fuit,
Sunt etiam multa celebrata Proverbia laude,
Quæ tibi pulchra satis lingua latina dabit.
Oedipodes tibi sunt, quicunque ænigmata solvunt,
Ingenioque vident qui tua dicta suo.
Sin minus hoc liceat, sua conjectura placebit
Cuilibet, & risus omnibus illa dabit.
Multa jocosa etiam sermone latentia tecto
Dicimus, & variis conjicienda modis.
Sæpe etiam terrere minis, promittere verbo
Est jocus, & pulchri signa leporis habent.
Non ea sub nostras veniunt tamen omnia leges,
Monstratrix tantum nostra Thalia fuit.
Hoc moneo tantum, salibus mediocriter uti,
Vt certum possis imposuisse modum.
Tullius hoc olim vitio fuit ipse notatus,
Quod nimis in salibus luxuriosus erat.
Hæc meminisse decet, certe meminisse juvabit,
Scilicet exemplo cautior esse potes.
Tunc bene desinitur, cum lusus pulcher habetur,
Cum placet & lepidus dicitur esse jocus.

Sicut cum tenero ſunt omnia grata palato,
Tum ſtomacho, prodeſt quam cupit eſſe minus.
Quod niſi ſervetur modus hic quoq; in arte jocandi
Diſplicet, ingenuis qui fuit ante, jocus.
Nec placet illius ratio vel honeſta jocandi.
Qui ſemel in partem criminis inde venit.
Inde cavere decet, ne cui moveatur amico,
Ex ſalibus fluitans nauſea forte tuis.
Plura tibi longum ſunt obſervanda per uſum.
Ille artem facilem qui tibi reddat, erit.
Ille manus habiles reddit, fidibuſque canoris
Applicat, artificem protinus ille facit.
Tu quoque fac uſu vincas incommoda mentis,
Et mea non tardo pectore ſcripta legas.
Meque tuum vatem & fidum profitere Magiſtrum
Qui, quæcunque dedi, non niſi plana dedi.
Quod ſi perſuaſum fuerit tibi, teque putabis,
Multa magiſterio diſcere poſſe meo.
Sic docuiſſe alios mea Muſa putabit, ut inde
Grande operæprecium ſe retuliſſe ſciat.

Finis Libri Secundi.

MATTHÆVS DELIO

DE

ARTE JOCANDI,

LIBER TERTIVS.

Hactenus (ut nullo capta est novitatis amore)
Et rudis & simplex nostra Thalia (fuit.
Quandoquidem rudis est cui scribimus ista jocando,
Et rudibus tantum quæ damus, illa damus.
Quis modus & quæ sit ratio, sermone jocandi,
Diximus, hæc primum meta tenenda fuit.
Iam superest nobis cœpti pars magna laboris,
Lassaque vix medium Musa peregit iter.
Ad nova, qui novus es, nunc te certamina miles.
Ire volo, & nova sunt castra petenda tibi.
Vos iterum Charites precor aspirate canenti,
Quod cano, de vestris laudibus omnia canam.
Vos mihi propositæ, ductus sequor ordine vestros
Thesea veluti fila ligata manu.
Sancta precor tenuem nunc in penetralia vatem
Ducite, sit vestras fas adiisse domos.
Vestibulum primum sacrataque limina vidi,
Limina divino carmine digna cani.
Nunc pergo ulterius, modo sit progressus ad ipsas
Concessus sedes, & via plana mihi.
Vos monstrate viam qua semita ducat euntem,
Vestrum opus est artes excoluisse bonas.
Fallet: an hic circum mihi nunc florere videntur
Omnia, & ornatæ sese aperire fores.
Certe equidem patet introitus Charitesque vocatæ
Adsunt, nosque ultro sub sua tecta vocant.

I juvenis mecum, ſacrataque tecta ſubintra,
Cujus Pieridem pectora tangit amor.
Qui tenet & didicit facilem quæcunque leporem
Efficiunt, ſcriptis non eget ille meis.
Acriter ad palmæ per ſe qui currit honorem,
Illi non opus eſt addere calcar equo.
Non opus eſt ſtimulis agitare ad aratra juvencos,
Qui dant ſervili ſubdita colla jugo.
Dic, an ei monitis qui ſponte movetur? an illi
Conſiliis opus eſt, qui ſatis ipſe ſapit?
Sed quia perfectum, vel ab omni parte beatum
Rebus in humanis nil ſatis eſſe poteſt,
Crede mihi & ſummis rerum diſcenda Magiſtris,
Longa dies ævi millia multa dabit.
Artifices diſcunt, & iis quæ diſcere poſſint
Plurima ſuppeditat tempus & hora frequens,
Fertur ab indoctis didiciſſe inſignis Apelles
Et laudem ingenii poſt poſuiſſe ſui.
Multa licet teneant docuit quos longior uſus,
Non piget invalidos diſcere multa ſenes.
Eſt vitium neſcire, ſed eſt didiciſſe voluptas,
Omnibus ingeniis convenit iſtud opus.
Ergo aliquis rectè dicetur ineptus ab illo
Crimine, quod ſeſe cuncta tenere putat.
Sic poterit forſan, qui nulla excultus ab arte eſt
Iudicio Muſis doctior eſſe ſuo.
Sed valeat propriæ qui laudis amore tenetur,
Diſcipulus certe non erit ille meus.
Cui mea Muſa placet, qui te non ſcire fateris,
Omnia, tu ſemper carmina noſtra legas.
Quod ſi pauca tenes, animoque priora notaſti
Hæc præcepta labor diſcere nullus erit.
Quandoquidem jactata valet ſententia vulgo,
Dimidium facti, qui bene cœpit habet.
De cauſis quibus eſt pulchrum in ſermonibus uti,
Si præcepta tenes tradita multa tenes.

Quæ tamen ut noris certe non omnia nosti,
Restat adhuc aliud quot mediteris opus.
Non modo Cecropius lepor in sermone probatur,
Tenditur, & multo latius inde placet,
Scilicet & scriptis laus est bene posse jocari,
Nec minus hic salibus qui velit ille valet.
Hæc quoque præceptis aliquod te parte docebo,
Ut prius, hic etiam meta tenenda tibi est,
Hanc ego quam primam studio, perdiscere partem
Certe operæ precium grandius esse puto.
Scripta etenim ingenii nostri sunt major imago,
Et referunt certis pectora nostra notis.
Adde quod in scriptis nec libertate jocandi,
Nec quavis uti conditione licet.
Verba volant instar paleæ, peneque volantis,
Quam subito volitans per mare ventus agit.
Sæpe aliquod dictum patulas prætervolat aures,
Quod quicunque legit mente tenere potest,
Nempe ea quæ tarde sunt lecta tenacius hærent,
Inque animum facile est hæc revocare tuum.
Quæ sunt scripta manent & longo tempore durant
In ventos abeunt omnia verba leves,
Ergo aliud studium, quod scilicet omnia vincat,
Major & hic nunc est cura adhibenda tibi.
Est tamen hæc etiam parti cognata priori
Altera & alterius semper egebit ope,
Hos juvenis moneo conjunctim disce libellos,
Et subeant animo verba priora tuo.
Non ego nunc eadem repetam, qui prorsus inanis
In nostro versu tautologia foret,
Ipsum opus aggredior, lepide præcepta jocandi
Carmine seu prosa, pauca sed apta dabo.
Si tua, quod multi faciunt, commune legentum
Edita judicium scripta subire velis.
Materiam scripti primum reperire labora,
Quæ bene Cecropiis competat acta jocis,

Hanc

Hanc facile est reperire tibi cum postulat usus
Quærere non opus est, tempus & hora dabit,
Seu minus, atque jocos rerum gravitate vel ipsa
Materia prægnans non patietur opus.
Quid facias quæris? libeat spectare quod obstat,
Materiæ ratio est semper habenda tibi,
Inspice res ipsas, & causas inspice rerum,
Omnibus hæc statuas anteferenda jocis.
Nulla faceta juvant inconvenientia rebus,
Atque à materia nulla aliena placent.
Si cognata tamen cognatis quælibet addas,
Forsan erit scripti causa probata tui.
Non ita, quin liceat causas mutare jocandi
Astrictum nostris legibus esse volo:
Addere res alias aliis quandoque licebit,
Addere verba jocis proxima quæque suis.
Nam nihil est ulla quod scribi posit in arte,
Sic de doctrinis scribere nemo potest.
Vt non inveniat suavi satis apta lepori,
Et res est lepidis verba probata jocis.
Dic mihi num poterit prohibere Sophia lepores?
Si fuerit scripti causa Sophia tui?
Num Medicina vetat? num lata scientia Iuris
Quid vetat in numeris Naso Poëta tuis?
An vetat æthereis cui clarum nomen ab astris
Cœlestes scrutans, Astronomia domos?
Nil vetat, in sacris nisi constans Regula scriptis,
Nil nisi præscriptum te jubet illa sequi.
Quo magis à salibus cum scribis sacra, prophanis,
Nam decet, & rectum est, abstinuisse velim.
Non quia non fas sit sacris miscere lepores,
Quodque sacra Idaliis sint inimica jocis.
Sed quoniam varios referunt hæc secula mores,
Scribere quis variis moribus apta potest?
Quam facile est animum verbo offendisse legentis?
Quam facile est salibus posse nocere tuis?

Vive-

Vivere quem dicas, quin sit reprehensus ab illis,
Vipereo quorum pectora felle madent?
Cujus ab invidia non carptos esse libellos
Credibile est? quem non hæ tetigere faces?
Sæpe aliis quibus est syncero in pectore candor,
Si qua placent, aliis displicuisse vides.
Sic animi variant hominum, nec opinio mentis,
Immutata diu, quæ fuit ante, manet.
Cernis ut ingenium planum, moresque sequantur,
Iudicia, & rerum pondere quæque vacent.
Hic ait, admittunt suaves quoque sacra lepores,
Ille ait, in sacris non nisi sacra decent.
Nam vitium est summū sacra admiscere prophanis,
Quod quicunque facit sacra prophana facit.
Hæc ego non fingo, sed idem res ipsa loquetur,
Dic mihi quis verum dissimulare potest?
Sunt qui Pierides manifesto crimine damnant,
Qui sacra non humili quo decet ore canunt.
Et qui liberior numeris concessa potestas,
Pieridum numeris sacra canenda negant,
O reprehensores, Momi fœcunda propago,
O male judicium turba secuta tuum.
Haud mihi difficile est tibi respondere, nec istud
Non ex propositi conditione mei.
Quid vetat Aonides sacris adhibere canendis?
Quid vetat & numeros sacra tenere suos?
An gravitas quæ rebus inest? & nescia flecti
Versibus ad faciles verba sacrata modos?
Falleris & vanis motus rationibus erras,
Scilicet absurdum quilibet error amat.
Hic tibi gentiles quoque contradicere noris,
Qui bene perspectum non habuere Deum.
Pyndarus, in lyricis tribuit cui Græcia palmam,
Pierides primum vult celebrare Deum.
Nam quia divinos scribenda ad carmina motus,
Excitat ipse animis qui regit astra Deus,

Ingenii vires merito conferre Poëtas
Ad celebranda Dei nomina sancta decet;
Nataque divinis, laudandis carmine rebus,
Debet in officio Musa manere suo.
At levis est dicis, plerunque nec abstinet unquam,
Nugaci linguæ garrulitate suæ.
Nec levis est semper, nec garrula, sæpe probatur,
Cum levis est, nec ab hoc crimen habere potest,
Si levitas vitium est semper, pars maxima vatum
Est levis, & vitio non caret illa suo.
Musa levis fateor sæpe est, & garrula sæpe,
Nec sibi figmentis displicet illa suis.
Sed nisi scurrilis levitas, si nulla reperta est,
Sic levitate caret, garrulitate caret.
Non levis ergo fuit, nec garrula Musa reperta est;
Sed potius dicam Musa jocosa fuit.
An vitium est etiam, si dicitur esse jocosa?
Ah pereat lepidos qui negat esse jocos.
Frigidus huic nimium est circũ præcordia sanguis,
Et jacet in duro pectore dura silex.
Ille etiam in cœlo Phœbum splendere negabit,
Et terram motus dicet habere suos.
Gnaviter ut sit enim perfrictæ frontis oportet,
Qui semel in rebus desiit esse pudens.
Sed neget ille Deum, neget alti lumen olympi,
Telluremque neget, sydera clara neget.
Nil moror hæc, neque quem talis dementia cœpit,
Huic homini stulto carmina nostra damus.
Ille suos adeat Momos, petat inde quod optet,
Se nihil in Musas juris habere sciat,
Nec tamen insanis hic respondere volebam,
Et nihil hic prodest perdere verba mihi.
Ergo ad te redeo, cui Musa jocosa probatur,
Quodque nequit merito displicuisse, placet;
Hic jam quæ mea sit sententia certa, videbis,
Forsitan & menti congruet illa tuæ.

Prin-

Principio ut rebus divinis nata Thalia est,
Sacra canens, apte, quæ canit, illa canit.
Ac licet ad certas astricta sit undique leges,
Dum canit ad numeros sacra ligata suos,
Attamen ingenuos illi aspersisse lepores
Et licet & fas est, causa nec ulla vetat.
Sed minus ut vaga sit, quantum solet esse fabellas,
Libera cum vena liberiore canit.
Et facile est illi se continuisse, nec unquam
In numeris sibi non constitit illa suis.
Non moror hîc vario pollutos crimine vates,
Qui cupiunt versu lædere quenque suo.
Semper abutuntur divinis artibus illi,
Musaque iis vitio commaculata placet.
Sed nihil inde trahit vitii (nihil hæret in illo
Criminis) Aonidum, turba verenda, chorus.
Detestandus erit certo qui crimine damnat,
Quæ sunt de rebus carmina scripta sacris,
Quique negat, sacris adhiberi posse canendis,
Ingenuis unquam verba faceta jocis.
Ista superstitio, quod res sit vana probamus,
Et quid enim tali vanius esse potest?
Dicimus, & sacris fas est aliquando lepores
Addere, sed certa conditione tamen.
Scilicet ut scripti lascivia carminis absit,
Nec faciat nimius sacra prophana jocus.
Impia quod faciunt quorundam carmina vatum,
Qui sacra infandi criminis instar habent.
Et subsannantes pietatis nomina rident,
Hoc immortalem est spernere velle Deum.
Ergo ubi sacra canunt, sese cantare fabellas
Materia numeris conveniente putant.
Relligio est illis jocus, & nugacia tractans
Fabula, quæ variis flectitur una modis.
Sed neque materiam, neq; res, sed carmina spectant,
Ah pereant per quos ista Thalia venit,

Et

Et pereat qui non cupit hos damnare Poëtas,
Hunc se laturos terra fretumque negent.
Quis probet illorũ, quis scripta imitanda virorum
Censeat, ingenuos, ut petat inde sales?
Hoc erat à pleno vitiis Nerone, beate
Vivendi certum quærere belle modum.
Sed cui firma manet tendens ad recta voluntas,
Ille homines tales ceu fera monstra fugit.
Illi etiam suasu virtutis, ad optima fertur,
Et certe monitis non eget ille meis.
Qui tamen addubitas & adhuc in vepribus hæres,
Carminibus nostris certior esse potes.
Sin minus illa tibi sananda ad vulnera mentis
Sufficiunt, levius scriptaque pondus habent.
Inspice doctorum præclara exempla virorum
Et faciant certam carmina docta fidem.
Nõ modo lux verbi & pietas quibus alma reduxit,
Sæcula, laudatos, nostra, tulere viros.
Carmine qui celebrent sacri mysteria verbi,
Atque canant numeris sacra ligata suis,
Verum etiam multos tulit ætas prisca Poëtas,
Qui coluere pias cum pietate Deas.
Et quia sunt vario celebrati nomine laudis,
Quum nunc de sera posteritate ferunt.
Hos tibi ceu veros (moneo) propone Magistros,
Qui possunt Musas erudiisse tuas.
Doctus honorandos cecinit Prudentius hymnos
Complexus variis nil nisi sacra modis.
Illius in templis hoc tempore scripta canuntur,
Doctorumque hominum semper in ore vigent.
Mira Euangelion scripsit brevitate Iuvencus,
Crede mihi brevitas ingeniosa placet.
Nostra Cremonensem foverunt sæcula Vidam,
Quem sibi Virgilius dixerit esse parem.
Illius in manibus nostris versatur, & extat,
Christiados, merito quod celebratur, opus.

Quid

Quid sileam? dignum præstanti laude Poëtam:
Qui fuit Hessiaci lumen & aura soli.
Et fuit & nunc est, quis enim non esse putaret,
Quem pia Semideum scripta fuisse probant.
Quamvis mortalis spoliatum munere vitæ,
Novimus, at scriptis vita perennis erit.
Hunc ceu Germanum, moneo, Germanus Homerũ
In manibus teneas nocte dieque tuis.
Inde venustates, scribens, suavesque lepores,
Si quod habent pondus carmina nostra, petes.
Quod si contigerit minus hunc æquare Poëtam,
Ingenio aut venæ fertilitate tuæ.
Frugiferum tamen & multum prodesse videbis,
Optima principio proposuisse tibi.
Hactenus exposui, quæ sacris Musa canendis
Conveniat, brevis hic nostra thalia fuit.
Namque ea res summam curã, studiumq; requirit,
Debet & in sacris rarior esse jocus.
Adde quod hic varia est stolidi sententia vulgi
Omniaque hæc nostra latius arte patent.
Ergo hic non volui multas præscribere leges.
Propositi sensus non fuit illa mei.
Nec jubeo multum nostris confidere dictis,
Sed neque momenti nullius esse putes.
Quare aliam potius quæ competat apta jocando
Materiam, & lepidis quæ sit amica jocis.
Finge tuo Marte ipse aliquid, res elige lætas
Has quacunque voles finxeris arte licet.
Sive placet lepidos vati conscribere versus
Ac inventa suis verba ligare modis.
Est sua libertas doctis concessa Camœnis,
Semper & in versu est, libera Musa tuo.
Non est alterius præscriptum ubicunq; sequendum,
Sed licet interdum finibus ire suis.
Sive aliquid scripturus eris sermone soluto,
Quis dicat lepidos posse deesse sales?

Sicut

Sicut enim variis mutantur cærea formis
Corpora, Nam digitis res valet apta tuis.
Nunc hominis, nunc effigiem designat aselli,
Nunc piscis, volucris, nunc Leo, nunc fit aper.
Sic licet in varias scriptum deducere formas
Quod de te natum est, cujus es ipse parens.
Sed tamen ut classes habeas, formasque jocandi,
Parte aliqua in scriptis nostra opus arte tibi est.
Ne velut ignotis erres peregrinus in oris,
Qui non exactum quo sit iturus habet.
Ergo aliquas leges non stricte ubicunq; sequendas,
Præscribam, & breviter commonuisse sat est.
Principio ingenii cupias cognoscere vires,
Et ratio studii sit tibi nota tui.
Denique, si sapias, totam perpendere vitam
Metirique tuo te velis ipse pede.
Crede mihi magnam laudē & memorabile nomen
Omnibus in rebus γνῶθι σεαυτὸν habet.
Et facile efficere est ut sis tibi notus, id ipsum
Vita homines cunctos quotidiana docet.
Quid tamen hoc prosit, quæris? præceptaque forsan
Quæ minime prosit discere, parva vocas.
Parva quidem fateor sed deducuntur ab illis
Maxima, de parvis grandis acervus erit,
Si bene te noris, ratione jocaberis illa
Qua decet, & salibus sponte disertus eris.
Id fiet si materiam tibi sumpseris illam
Quæ sit, ut esse decet, viribus apta tuis.
Sponte tibi obvenient, quæ scribas grata legenti
Plurima, nec paucos res dabit ipsa jocos.
Si Medicus doctam profitere Machaonis artem,
Et non, laudata prorsus ab arte rudis.
Offeret ipsa tibi pulchros Medicina lepores
Illa potest verbis addere verba tuis.
Scilicet excuties & singula quæque notabis,
Accedet numero copia magna tuo.

Et

Et quos enim melius quam quæ sibi cognita scribet,
Quando ea quæ nescit scribere nemo potest,
Cui placet & nota est præclara scientia legum,
Qui sacri Iuris cognitione valet,
Huic varii casus, variæ sine pondere rixæ,
Plurima quæ scribat verba jocosa dabunt.
Scribentemque sui officii Audiique monebunt
Misceat in scriptis ne peregrina suis.
Si tibi Pierides, & eorum scripta probantur,
Si pia Pegasei numina fontis amas.
Ipsa jocos varios ultro dabit, atque lepores,
Ipsa reget calamum docta Thalia tuum.
Nec tamen usque adeo leges astrictus ad illas,
Vt modus hic non sit transiliendus, eris.
Non volo materia semper verseris in una
Non lepidos semper res dabit una jocos.
Et licet, & fas est suaves aliunde lepores
Quærere, non istud dicimus esse nefas.
Sed quod conveniant procul accersita, negamus,
Hæc res ingenio est perspicienda tuo.
Disce bonas artes, præstans doctrina probatur,
Illa tuum calamum non sinet esse rudem.
Volve manu crebra veterũ monumenta Sophorum.
Nam prodest salibus lectio crebra tuis.
Perlege & historias & dulcia carmina vatum,
Voluere scriptorum proderit omne genus.
Dixerit hic aliquis, Res infinita, Nec; sti
Sufficiens ullus forsitan esse potest.
Est ita perfecte siquis perdiscere tentet
Omnia, nec finem est res habitura suum.
Verum ego te jubeo digitis attingere summis
Optima, quæ lepidi sunt alimenta joci.
Sicut apes teneros primum depascere rores,
Postea in alveolis mellificare solent.
Elige quæ salibus præpollent scripta facetis
Elige scribendo quos imitere viros.

Per-

Perspice qui prosa valeat, qui carmine præstet,
Debet enim studiis neuter abesse tuis.
Doctiloquus (moneo) placeat tibi semper Erasmus
Cujus utroque patet scripta sub axe legi.
Sunt ea blanditiis & suavi tincta lepore,
Sunt passim lepidis scripta referta jocis.
Quo libet ista trahunt animos, retrahuntq; legentū
Vt capiant nullæ tædia longa moræ.
Sicut Apellea depictas arte tabellas,
Ingenti studio qui videt, ille videt.
Infixosque oculos retinens miratur & hæret,
Lustrandique magis tempore crescit amor,
Hæc moveant; ut scripta legens imiteris Erasmum,
Inde feres studii commoda multa tui.
Inde sales discas & res & verba leporum,
In scriptis quorum crebrior usus erit.
Vatibus à summis suaves quoque disce lepores,
Disce, sed à doctis tu quoque doctus eris,
Non hos longinquis opus est accersere terris,
Quin tua per multos Bibliotheca dabit:
Perlege Nasonis celeberrima scripta Poëtæ
Scripta per æternos non moritura dies.
Inde venustates, velut ipso ex fonte leporis,
Ac velut ex cornu liberiore fluunt.
Est quoque in Ausoniis laus prima Terentius oris,
Cui merito palmam Comica turba dedit.
Ille tibi volvendus erit manibusque tenendus,
Hoc tibi non alius carior autor erit.
Hunc tibi præcipuum (moneo) propone Magistrum
Ille sit ante oculos nocte dieque tuos.
Quæris, in his quæ sit ratio observanda leporum,
Quæque sit utilitas inde petenda tibi.
Disce ea quæ lepidis sunt convenientia scriptis,
Disce ea quæ scriptis sunt imitanda tuis,
Quæ sit ridiculis sententia tincta figuris,
Quæ sit in scriptis mystica verba, vide.

Si quid

Si quid hyperbolice dicatur, id omne placebit,
Vatibus eximiis convenit iste jocus.
Non minor Emphatici est animo violentia dicti,
Sæpe joci in scriptus Emphasis autor erit.
Et placet assimulata aliis res, si qua venuste
Additur, & lepidis convenit apta jocis.
Quid memorem suaves, plenasq; lepore fab ellas,
Addit enim scriptis fabula scripta decus.
Quid lepidos versus? salibusque jocisque refertos?
Quid tribuam laudis suavibus historiis?
Vt taceam in multis jocunda proverbia scriptis,
In quibus egregius splendor inesse solet.
De quibus illa animo repetens ex parte requiras,
Quæ prior hac numero nostra tabella dedit.
Illa tuis adhibe scriptis, & consule mentem,
Plura jocosa dabit forsitan illa tibi.
Denique sic adjunge sales, sic adde lepores,
Propositi ratio constet ut ipsa tibi.
Ne, nimium tribuens salibus, videaris inepte
Non ea quæ res sunt ac peregrina loqui.
Historias narras? non te narrare fabellas
Cogita, & ex rebus quas canis adde jocos.
Hæc animo subeant, memoremq; per omnia mentem
Propositi reddant admoneantque tui.
Sit jocus ex rebus doctus. sit idoneus autor,
Qui possit calami jura novare tui.
Nam si fœcundam venam natura negavit,
Et phrasis ex aliqua parte coacta tua est.
Disce jocos, scriptis tempestivosque lepores
Addere scribendo vel Theophrastus eris.
Et simul erudiant simul admoneantque legentem,
Multa etiam possint dissimulare joci.
Invidiæ non sis pravæ temerarius autor.
Nec tua quem libeat carpere scripta velint.
Quod si te capiet præcepti oblivio nostri,
Qua fugias odium nulla relicta via est.

Invi-

Invidiæ rursum cæca lacerabere morsu,
Scriptaque vix ullus quin tua carpat, erit.
Nam si divinum detrectans livor Homerum
Dentibus intactum non sinit esse suis:
Dic mihi quid mirum? si spirans Colchidos herbam
Conetur libros carpere lingua tuos?
Ergo habeant magnum præcepta levissima pondus,
Illorum in scriptis maximus usus erit.
Diximus, in scriptis qua sit ratione jocandum,
Si cupis à multis edita scripta legi.
Nunc breviter dicam quid litera scripta requirat
Litera sermonis nuncia facta tui.
Firmiter hæc animo absentes conjunget amicos,
Atque homines vinclo proximiore ligat.
Hæc conservat amicitias, conservat amorem,
Hæc facit ut longo tempore duret amor.
Si tamen in scriptis servetur ubique decorum
Litera nec salibus fiat inepta tuis.
Nam nisi sit lepidus, nisi tempestivus, & aptus,
Et nocet, & nostra non valet arte jocus.
Sæpe simultates, odium, sæpe excitat iram,
Sæpe etiam invidiæ litera causa fuit.
Ergo quibus tandem mittatur Epistola, primum
Cura sit, ingenio posse videre tuo.
Inde modus totus debet pendere jocandi,
Hac omnes stabunt conditione sales.
Scribis ad ignotos? Salium sit parcior usus,
Ludere velle jocis ne videare tuis.
Lude sales, caute suaves asperge lepores,
Si ratio scripti non vetet ipsa tui.
Vnde petas res ipsa dabit, res ipsa monebit,
Inspice res ipsas, sponte disertus eris.
Nec tamen astrictum rebus neque cedere rebus,
Inter utrumque magis posse manere, velim.
Sæpe jocos præbere potest occasio scripti,
Illa potest scriptis addere multa tuis.

Sæpe

Sæpe jocos locus ipse dabit quo litera missa est,
Tum quoque causa joci nuncius esse potest.
Quid memorẽ tempus, quid eam qua scripseris horã
Quid merita officiis extenuata suis?
Denique quid varios casus? quid plurima rerum
Nomina? quæ nostra latius arte patent.
Hæc tibi scribenti sunt observanda, nec unquam
Officii ratio est prætereunda tibi.
Nil vetat interdum lepidas narrare fabellas,
Sæpe fuit suavi fabula digna joco.
Quod si liberius tentabis scribere quidquam,
In numeros coëat litera tota suos.
Addere sic multum, sic fingere multa licebit,
Quæ nisi sit carmen litera nulla feret.
Quod tamen ignoto scribas non excidat unquam
Illius inprimis te meminisse decet.
Quæ nova sunt fugias, consuetaque verba jocando
Cura sit & salibus pauca adhibere tuis.
Sit pudor in verbis, non sint adversa decoro,
Sic potes ignotum demeruisse tibi.
Scilicet ex scriptis aliquis cui mentis acumen.
Agnoscet mores ingeniumque tuum.
Ex salibus si sint lepidi non crimine digni,
Ingenuos mores colligit esse tuos.
Sin minus & nusquam jocus est, aut ulla venustas
Te genitum rabidis judicat esse feris.
Teque tuosque odit mores, quis amaverit illum,
Cui non est toto corpore mica salis?
Ergo etiam ignotis tua litera missa placebit,
Si lepidis modice floreat illa jocis.
Si modus, ut dixi, certus teneatur in illis,
Si fuerit scripti forma pudica tui.
Verum ubi syncero forsan mittetur amico
Litera sermonis nuncia facta tui,
Quo tibi cunque libet pacto licet esse jocosum,
Quidquid ei cupies scribere, scribe jocos.

Omnia namque palcent ſynceros inter amicos.
Quorum non falſus pectora junxit amor,
Hic tibi non opus eſt monitis, ſed longior uſus,
Oſtendit multo hæc commodiore via.
Sic brevibus ſaltem monitis docuiſſe volebam,
Pauca ea ſufficiunt, & monuiſſe ſat eſt.
Tu præcepta volens numerum mea cogere in unum,
Ex paucis tandem magnus acervus erit.
Hunc etiam librum, ſi non piget adde priori
Fons etenim primus poſterioris erit.
Meque tuum vatem (tenuem licet) atq; Magiſtrum
Dilige, qui ex animo quæ dedit, illa dedit.

Finis Libri Tertii.

MATTHÆVS DELIO

DE

ARTE JOCANDI,

LIBER QVARTVS.



Ltimus in cursu labor est stagnantibus undis,
Nostra petens portum nunc quoque navis eat.
Hanc tibi non liceat turbare potentibus Austris,
Æole quam perdas Dardana classis erit.
Est pluviis inimica, furentibus invidet Austris,
Nam semper fragilis nostra carina fuit.
Numina vestra regāt, Charites & ut ante gubernēt
Inceptum cursum Numina vestra regant,
Hic jam vester honos, hic laus & gloria crescet,
Gloria divino carmine digna cani.
Quanta sit utilitas, quis honor, quæ cura jocorum.
Exponet brevibus nostra Thalia modis.
Disce tuum juvenis qui me cupis esse Magistrum,
Permultum studio laudis inesse tuo.
Et qui nostra tenes suavis præcepta leporis,
Te studio indignum nil didicisse puta,
Hic tibi picturam referam prius, inde probandos
Non una dices utilitate jocos.
Qua patet ad Charitum sedes ingressus amandas,
Altaque Parnassi sydera tangit apex.
Lignea dissimili variata colore tabella,
Pendet ad ornatas conspicienda fores.
In medio artifici dextra depictus, & idem
Distinctus geminis partibus hortus inest,
Altera pars violis florens herbaque pubenti
Veris & Autumni signa virentis habet.

Hic herbæ & frutices, hic sunt dulcissima poma,
Et sua vix arbor pondera ferre potest.
Somniferā præbet tener hic quoq; Pampinus umbrā
Nec solidas vires ardor & æstus habent.
Virgineas passim ducentes arte choreas,
Alternis gaudent saltibus ire Deæ.
Egregii fidibus juvenes citharaque canentes
Suavisonis cantant carmina facta modis.
Vna alias virgo reliquas supereminet omnes
Lætitiæ adscriptum sic (puto) nomen habet.
Hic hymenæus adest, qui mutua fœdera jungit,
Et fidibus Pæan dulcibus ille canit.
Sunt Musæ & Charites, studiū quibus omnibus unū
Pectora Cecropiis ex'il arare jocis.
Quid memorem varios cantus? modulosq; sonantes
Quid varios plausus lætitiæque modos?
Quid multis? uno complectar ut omnia verbo
Omnia sunt studiis, omnia plena jocis.
Altera distincti pars non est fertilis horti,
Gramina cuncta istic arida facta jacent.
Perpetuo veluti quondam languentia somno
Omnia nil dignum quod celebretur, habent.
Omnia quo te cunque refers pallentia cernis,
Et folia arboribus plane inimica suis.
Hic dolor & luctus, facies hic Stoica regnat,
Invisis facies torva superciliis.
Quid dicam? nihil hic læti est, neque cernitur ullus
Cui sit in immenso corpore mica salis.
Hic ibi Apelleo tibi sunt depicta colore,
Artifici ut videas omnia picta manu.
Addita non paucis est explanatio verbis,
Illa docet pulchrum quod tibi formet opus.
Vita duplex gemini sub imagine pingitur horti
Attribuit veras pictor utrique notas.
Altera quam pavidis curis vitiisque necesse est
Altius humanis exeruisse caput.

Scilicet

Scilicet à strepitu vulgi & clamore remota est
Ac placida semper parce quieta manet.
Convenit hæc illis quibus est didicisse voluptas,
Quique piis Musis nocte dieque vacant.
Sic tamen ut studium quandoque remittere tenent,
Ociaque interdum non inhonesta sequi.
Nam decet & licita est alterna remissio Musis,
Alternam requiem qui studet omnis amat.
Sic donec licuit, quibus ævo contigit uti,
Vita carens strepitu vatibus acta fuit.
Credibile est illos tranquillæ tempora vitæ,
Fortunæ cunctis præposuisse bonis.
Pierides Naso Pelignæ gloria gentis,
Præposuit Gazis Crœse superbe tuis.
His olim varios sibi conciliavit amicos
Nunc laudem seræ posteritatis habet.
Plurima scripta iocis variis ornata reliquit,
Quæ sunt perpetuo non moritura die.
Quid memorem Romane etiam tua scripta Tibulle?
Quid laudem ingenium docte Catulle tuum?
Sic etiam Andinus vates, sic vivit Homerus,
Qui cecinere suis Troica bella modis.
Horrida bellandi sævique pericula Martis,
Res gravis & lepidis plane inimica iocis.
Qui tamen hæc ab iis versu descripta videbunt,
Dicent in media est hic gravitate iocus.
Nam voluere quidem iucunda legentibus essent
Vt fierent lepidi tristia bella ioci.
Adde quod interdum posita gravitate canendi
Carminibus dulces lusit uterque sales.
Ludicra cum ranis murum descripsit Homerus,
Prælia quæ lepidis res magis apta iocis?
Pastorum facili noster Maro lusit avena,
Materia salibus conveniente suis.
Quid moror in vatum studiis? Musa ipsa Poëtas
Et regit, & pellit, nec sinit esse feros

Ipse etiam eloquii verus pater unus & autor,
Quid melius dulci censuit esse joco?
Cui licet haud levibus peragenda negocia curis,
Et fuerit tanti cura tenenda fori.
Musa tamen placuit, fuit hæc recreatio vitæ
Huic studii cupidus tempora multa dabit.
Omnibus hæc doctis placet, & ratio omnibus una est
Pectora Cecropiis exhilarare jocis.
Pectora, quæ nimio studii defessa labore,
Nil melius studiis, quo recreentur, habent.
Non aliter quam si telum quem fixit acutum,
Scorpius & morti damna propinqua dedit.
Vtitur his ipsis qui jam nocuere venenis,
Et petit ex illo qui modo læsit opem.
O fortunatos quibus hæc medicina paratur
Et licet hac vitæ commoditate frui.
Altera quam pingit locus alter inutilis horti,
Vita carens salibus Stoica dicta manet.
Hæc gravis, hæc semper multis obnoxia curis
Permanet, ac torvis plena superciliis.
Convenit hæc Cynicis, morosis omnibus illis,
Qui sibi non ipsis vivere turpe putant.
Cognitione hominum quæ sunt dignissima tractant
Atque suum studium nobilitate probant.
Omnia sed tenebris studio est involvere cæcis.
Mens illis suadet non nisi vana sequi.
Inde ea quæ fuerant jucunda legentibus olim,
In mundo reddunt omnia plena situ
Certa in iis gravitas odiosa & tetrica regnat,
Dispereant quibus hæc Stoica vina placet.
Hanc duplicem gemina demonstrat imagine vitam
Quæ modo descripta est picta tabella tibi.
Altera præfertur quæ vatibus optima visa est
Emicat & vario est dignior illa gradu.
Et quanto est melior brumæ laudabilis æstas
Tanto hæc vita manet nobilitate prior.

Est

Est eadem veterum sententia dia Sophorum
Et sunt judicio congrua scripta meo.
Inde hominum vitæ ceu condimenta quod essent,
Dicebant, vocis nobilitate, sales.
Scilicet istorum contingit munere, quicquid
(Sic dixere) hominum vita saporis habet,
Nam si perpetuis sint cuncta obnoxia curis,
Ac æterna animos sollicitudo premat.
Si teneræ non sit quædam recreatio vitæ,
Et capiti præstet nil nisi triste tuo.
Vita aliud est quid gelidæ nisi mortis imago,
Et miseranda animæ carnificina tuæ?
Ne diuturna putes quæ nullo tempore cessant
Æterna requie quod caret, omne perit,
Hæc bene prævidit cœlestis conditor orbis,
Cujus vertuntur regna ducesque manu,
Temporis inde vices partesque volubilis annis
Constituit sapiens ordine quæque suo.
Æstatemque hiememque dedet mutataque cœli
Sydera, nec dubiis facta Elementa locis,
Indesuam expectant animalia cuncta quietem,
Temporaque insomnis certa laboris habent.
Tunc omnis cessans à vomere libera terra est,
Lux nova Solstitii quando hyemalis adest
Arboribus quoque tunc requies contingit & herbis
Et, breviter dicam, tota quiescit humus.
Falcifera cessant brumali tempore vitæ,
Atque illo requiem tempore Bacchus amat,
Non sentit tumidos fluctus, ventisque procellas
Æquoris in placidis tuta carina vadis,
Hæc quoque consilio divinus rector Olympi,
Constituit noctem constituitque diem.
Illa quidem ut requies cunctis vescentibus aura
Æthera, hæc operæ cuilibet apta foret,
Quis dubitat gratam mortalibus esse quietem,
Quo nihil utilius corpus habere potest,

Illa novat vires, & justo membra labori
Apta facit, solitum restituitque decus.
Perpetuo nullus quantumvis robore praestet,
Nec dormire potest, nec vigilare potest.
Ipsa hominis requiem quandam natura requirit,
Et cessare homines illa aliquando jubet.
Audacem juvenis linquit persaepe Palestram,
Et recreat certis brachia fessa modis.
Non semper bellator erat, bellator Achilles,
Interdum lepidi carminis autor erat,
Saepe etiam posuit praegrandi pondere clavam
Qui manibus domuit monstra tremenda suis.
Omphalium tenuit persuasus pollice fusum,
Et muliebre adeo nobilitavit opus.
Si tantis optata quies heroibus olim
Et fuit, atque aliter non patuisse liquet:
Si labor assiduus nec cessans actio, multis
Res optanda quidem, non toleranda fuit.
Quid tu perpetuis curis, multoque labore
Sufficias? an non Hercule major eris?
Nec tamen hic vires summumque in corpore robur
Aestimo, longe aliud corpore majus habes.
Est animus ratione valens, qui corpori inhaeret,
Et facit, ut brutum dicere nemo queat.
Sustinet ille quidem multo majora nec illi
Pondera qua numeret, sufficit ulla dies.
Semper habet quod tractet opus, semperque laborat
Semper agit, sensu non nisi nocte vacat.
Idque homini cui Musa placet studiumq; bonorum,
Et patet, & multo notius esse potest.
Namque omnes superat studii meditatio curas,
Discendi ingenium grande fatigat opus.
Non ibi languescunt (quamvis minuuntur ab ullo)
Quas vires hominis corpus habere potest.
Non manus hic callo durata obducitur ullo,
Nec pedibus morsus nascitur inde tuis.

Ipsa

Ipsa tibi cujus contingit munere sensus
Vita quiete carens debilitata perit.
Inde animi multos spoliari sensibus olim
Vidimus, & vitæ parte carere suæ.
Vidimus & furiis agitari, & mente carere,
Hic furor ex studiis non aliunde venit.
Non tamen hæc Musis culpa assignetur & ipsis,
Artibus, haud quicquam Musa furoris habet.
Sed quia quæ studiis adhiberi debuit, illis
Grata negata quies sensim abiisse liquet.
Quo magis ô juvenes Musis quicunque studetis,
Esse aliquid lepidos quæso putate jocos.
Et quia fessa suam requiem natura requirit,
Qua sine non animus qui fuit ante manet.
Crede equidem lepidosque sales suavesque lepores
Semper id esse animo quod medicina tuo.
Quandoquidem studii recreatio, certa, lepores
Ac veluti vitæ sunt alimenta tuæ.
His variæ curæ luctusque dolorque fugantur,
Nulla animum torquens sollicitudo manet,
Quam multi ante diem misere periere supremum
Et Stygii exanimes regna adiere Dei?
In promptu causa est, Medicina hæc defuit illis,
Nec licuit tanta commoditate frui.
Et quid adhuc causam mortis miramur in illis?
Quidve recens mortis credimus esse genus?
Tempore consumi lapides ferrumque videmus,
Hoc dubitas animo durius esse tuo?
Tempore magnæ urbes labuntur & oppida multa
Longa dies etiam durum adamanta terit.
Quid mirum si languescunt in corpore vires,
Atque hominum fragilis tempore vita perit?
Hæc mihi scribenti, veniens sic Parca locuta est
(Vidimus & Lachesin arguit ipsa colus)
Jam scio te nostros culpantem voce labores
Dicere nos duri pectoris esse Deas,

Quid juvat innocuas sceleris damnare? quid illas
Spernere, quas voluit Iuppiter esse Deas?
Atque adeo à multis (cum sim sine crimine vitæ)
Cur toties verbis carminibusque petor?
Me culpant Reges, me plebs, puerique senesque
Nemo tamen merito quod reprehendat, habet,
Cuncta potestati nostræ subjecta fatentur
Subjectum mundum legibus esse meis.
Nec tamen est (nisi cuncta illi subjecta fatemur
Quæ fortis propriis viribus esse nequit)
Multa olim memini mihi gloria, splendor honores,
Egregium nomen secla priora dabant.
Non ita regnabant, quæ nunc dominantur in orbe,
Ebrietas, luxus, bella cruenta, neces.
Non Venus aut validum frangebat pectora vinum,
Rarus & in bello qui cecidisset, erat.
Non animum curæ, non sollicitudo premebat,
Omnis avaritiæ nescia turba fuit.
Ergo animos vires, firmumque in corpore robur
Mansit, & infractum secula multa stetit.
Sæpe aliquis, viridi meminit quam gramine quercũ
Vidit in æquævum consenuisse nemus.
Sæpe aliquis numerans jucundæ tempora vitæ,
Sæpe ætas validum tertia vidit avum.
At cum degenerare homines cœpere, suique
Immemor, & vitiis dedita turba fuit.
Vita brevis tenerum valido sine robore, corpus
Contigit, hæc hominum non mea culpa fuit.
Sæpe meum tenui gestantem pollice fusum
Iam vix inceptum Mars mihi rupit opus.
Sæpe homines ipsi, dum in mutua vulnera tendunt
Ruperunt manibus fila tenenda meis,
Nunc etiam abbreviant multi sibi tempora vitæ
Et sunt interitus causa propinqua sui.
Et tamen hæc miseram, veluti me culpa nocentem
Obruit, atque ream criminis esse facit,

O non

O non æqua meo mortalis turba labori,
O male judicium turba secuta tuum.
Sæpe mihi interitus, pueri, juvenisque, senisque
Qui cadit ante diem, vulnera magna facit.
Imo equidem quicunque Stygis descendit ad undas
Crede mihi haud nostris legibus ille perit.
Est Deus, est rerum dominus, qui fila gubernat,
Qui nostras quo vult pertrahit ipse manus.
Sæpe quidem varios nobis facit ille dolores
Si quem forte mori jusserit ante diem.
O quam sæpe equidem rupturam fila negavi,
Ipsaque tam durum dextra negavit opus.
Hinc Eobane mihi nuper miseranda dedisti
Tempora docta nimis flere, dolore, queri.
Hei mihi quam volui pro te succumbere morti,
Et quam sæpe animo sum mihi visa mori.
Nec licuit, Superum stetit immutata voluntas,
Jussit & omnipotens frangere fila Deus.
Res mihi nota quidem nec mortis causa latebat
Quis dubitat? summus causa erat ipse Deus.
Præripuit mundi te casibus ille futuris,
Instanti voluit præripuisse malo.
Ne, ventura hominũ quæ sunt mala damna, videre,
Et mala quæ Christum turba secuta feret.
Nunc fortunatus tranquilla in pace quiescis,
Et spernis summi totius orbis opes.
Hæc non invideo tibi, nec legenda putabo
Tristitiæ hinc longe est causa remota meæ.
Me scio damnabunt vates tua fata canentes
Et mea quæ non est, culpa futura mea est.
O utinam toties quoties optabo, liceret
Parcere, quam vellem nomen amare meum.
Sed quid iis liceat, quibus ipsum vivere mors est:
Et quibus interdum vita negata fuit?
Vivere posse tamen, vitam dedit ipse perennem
Jupiter, ô si non perpetua illa foret.

Perpetuas hominum voluit Deus esse ministras,
Nec poterit finem noster habere labor.
Nocte dieque manet prægnans in pollice fusus,
Et sunt non uno fila trahenda modo.
Sæpe quidem labor est uno renovandus in anno,
Atque novas curas qualibet hora facit.
Nunc aliis iterumque aliis pereuntibus, unam
Frangere nunc cogor, nunc reparare colum.
Sed neque qui pereat, neq; qui periturus in orbe est
Novimus, hæc soli est res bene nota Deo.
Dixerat & tenues fugiens ceu ventus in auras
Addit hæc verbis ultima verba, vale.
Mox audita animo mecum pervolvere cœpi
Et res judicio est tota probata meo.
Quod si me nullis credis rationibus usum,
Iudicio stabunt non minus illa meo
Sunt mihi tercentum, nec sunt sine pondere causæ
Ipsaque res testis certior esse potest.
Inspice res hominum, varie confusa videbis
Omnia, nec veterem qui fuit ante statum.
Invenies multos variis rationibus ipsos
Plus nocuisse sibi, quàm nocet ipse Deus.
Hunc animi curis, istum sine mente bibendo,
Atque alios aliis interiisse modis,
Sed quæ stultitia est hominum sibi sponte nocere?
Et quæ stultitia est, sponte perire sua?
Qui te posse frui dedit ipso munere vitæ,
Qua tandem dederit conditione, vide.
Vt prodesse aliis posses, aliosque docere
Hac vitæ munus jussit habere Deus.
Ergo animum ut fessum recrees, aliquando jocari
Et licet, & fas est, & Deus ipse jubet.
Hoc monet utilitas vitæ, ratioque decori
Postulat id certe non violare decet.
Summus Aristoteles vocat incivilia corda,
In quibus est nunquam mica reperta salis.

Et Plato Xenocratem, cum vultu Stoicus esset,
Iussit Pieriis sacrificare Deis.
Hæc tibi si forsan, juvenis, leviora videntur
Quam quibus hoc tribuas, quod tribuisse decet,
Natus es è scopulis & saxis durior ipsis,
Durius infracto cor adamante geris.
Sed puto judicii jam te gravitate moveri.
Inque animo verbum pondus habere tuo.
Nam quia vivendi ratio monet ipsa, quid obstat
Quo minus ut debes hæc mea dicta probet
Non mea sunt, nec enim poteris nostra esse putare
Ipse tibi sensus talia verba dedit.
Dic mihi quid fueris nisi pondus inutile terræ?
Si tibi cum sociis vita negata foret.
Si tibi cum nullo pœnitus vivente loquendum,
Consuetudo hominum sit fugienda tibi.
Id fieri res ipsa docet, quæ Regula vitæ est,
Quæ placeant aliis dicere nulla queas.
Qui studet ut scriptus multum sit & ore venustus
Non petulans, audax, turpis & ore loquax.
Dic ubi non placuit, nec conciliavit amicos?
Dic ubi non multis gratior ille fuit?
Vincere sive placet jucundos inter amicos
Atque animos lepidis exhilarare jocis.
Sive apud ignotos variis peregrinus in oris
Vixerit, optatus cuilibet hospes erit.
Deniq; quicquid aget tandem, quæcunq; loquetur?
Non poterit dictis fautor abesse suis.
Sicut enim summos montes sylvasque ferasque
Ad numeros Orphei prosiluisse ferunt:
Sic aliquem salibus dictisque jocisque facetum,
Qui videt omnis amat, diligit, atque fovet.
Verum alios qui sunt rigidis de cautibus orti,
Quos genuit dura Parthica Tygris humo.
Nullus amat, nec amare potest, sed quilibet odit,
Oderunt juvenes, odit & ipse Deus.

Gratæ illis tenebræ gaudent soli esse, nec unquam
Sive Comam premeret Casside, pulcher erat.
Dū studiū gravitatis amant, modo vana sequūtur,
Stultitiamque suam sub gravitate tegunt.
Non tamen hic gravitas à me reprehensa putetur,
Illa suum in rebus debet habere locum.
Hos reprehendo quibus gravitas morosa probatur,
Ac ceu digna coli Stoica vita placet.
Est modus, hunc gravitas præscripta lege sequatur,
Est modus, in genuis convenit illa iocis.
Hæc pete cuncta suis ex fontibus, ordine certo,
Hæc docet & monstrat pagina nostra prior.
Quid moror in parvis? iocis est sapientia magna,
Et iocus interdum plus gravitate valet.
Hæc exempla probant, quæ sunt certissima signa,
Musa etiam exemplum commemorare iubet.
Seditio *Ausonia quondam nova in urbe coorta est,*
Atque novus populum traxit ad arma furor.
Nullius eloquio præceps commota ruebat,
Pro laribus propriis turba parata mori,
Non aliter quam si consuetis sedibus actæ
Hostibus à fucis commoveantur apes,
Per diversa ruit loca concita turba volantum,
Miscetur que uno conglomerata loco.
Irruit in medios, placido spectabilis ore
Orator canis eloquioque potens,
Et cupiens populi verbis sedare furorem,
Res nova, quod dicam, res nova dixit erit.
Atque ita cum populum clamanti voce vocasset,
Impavidus cœpit talia verba loqui.
Omnibus (ut fama est) amissis viribus olim
Ægrotus longo tempore venter erat.
Membra laboranti morbis non æqua sodali
Pesque manusque illi dura negabat opem.
Ille igitur magis infelix languescere cœpit
Atque mala in longas convaluere moras.

Impia

Impia senserunt tandem, sibi membra parari
Exitium, ac humeris damna ferenda suis.
Ergo, malum ex æqua meliores, parte ferendum
Et cum ventre suo jam statuere mori.
Pœnituit socium se deseruisse, sed istud
Officii pensant sedulitate sui.
Sic tandem misero vires & robora ventri,
Et redüt membris qui fuit ante vigor.
Quod nisi nunc etiam nobis qui bella paratis,
Istud ad exemplum damna cavere placet,
Alter & alterius, ceu venter & invida membra
Dißidio moto, destituatur ope.
Membrorum exemplo, res certa, peribitis omnes
Quæ venit, hæc cunctis pœna luenda venit.
Talibus obstupuit populus, mentemque recepit
Et tota extinctus desiit urbe furor.
Quod gravitas, quod non potuit facundia dives
Quod nullæ vires, hoc potuere joci.
I nunc dic artem nusquam prodesse jocandi
I nunc dic minimum laudis habere sales.
Nec tamen hoc uno cupio mea verba probare
Exemplo, historiæ millia multa dabunt.
Tractarunt juvenes convivia læta Tarenti
Quos tum cœna domo junxerat una duos,
Incaluere mero, nec eorum cauta loquendo;
Sed nimis in Pyrrhum libera lingua fuit.
Ergo ubi salvari mala causa & crimine digna
Nec posset verbis res manifesta tegi.
Supplicium capitis miseros post facta manebat,
Dictorumque gravis pœna luenda fuit.
Cumque rogarentur quæ dicti causa fuisset,
Respondens lepidis vocibus alter, ait:
Quod nisi deficiens laticem lagena negasset,
Regem occisurus, si licuisset, eram.
Talibus evasit pœnas, & uterque jocando
Præcavit capiti damna futura suo.

Quid

Quid moror exemplis? jocus est recreatio vitæ,
Ille dat autori commoda multa suo.
Illa fugat curas, tristique è corde dolores,
Et recreat miris pectora fessa modis.
Ille alios aliis placens conjungit amicos,
Ille hominum mores non sinit esse feros.
Hoc tibi multorum bene conciliare favorem,
Hoc poteris multos demeruisse tibi,
Cum vel apud notos, & cum præsente loqueris,
Vel mittes digitis scripta notata tuis,
Nam sicut venerem Magnetica gemma figuram,
Qualibet ad sese ferrea frusta trahit.
Sic rapit inque suum multus vi cogit amorem
Cujus sunt lepidis scripta referta jocis.
Quis non semper amat, quem se non cogit amare
Et cui non dulcis Tullius ore placet?
Tullius eloquii pater & lux aurea Romæ,
Cujus ab ore potens lingua latina fluit.
Nota cano, cui non scriptis jucundus Erasmus
Quem non blanditiis attrahit ille suis?
Non quibus est blandus Gnatho, quibus utitur ille.
Dum lingua fucum decipiente facit.
Sed valet ars in iis suavi ratione jocandi,
Atque Tibullæo qui venit ore lepos.
Ergo isti valeant, & mente carere putentur,
Qui dicunt precii nullius esse sales.
Te non tantorum vestigia pressa virorum
Fac nunquam pudeat pœniteatve sequi
Et cur pœniteat? Quando incivilis habetur
Qui nunquam didicit verba jocosa loqui.
Cur pudeat? quoniam summum præcepta jocandi
Scribere Philosophum non puduisse liquet
Cur pudeat? summi Ciceronis scripta supersunt,
Quorum judicio dicta faceta valent.
Quod vel Aristotelem decuit, linguæque parentem,
Te quoque quisquis eris posse decere puta.

Nec

Nec nuper collecta putes, inventaque nuper,
Invide de salibus quae tibi eunque dedi.
Nam scio proscindet nostros mala turba libellos,
Forte aliquis nostrum sic reprehendet opus.
Quid rem fortuitam sub leges cogere tentas?
Non profecturum quod facis, omne facis.
Nam quod ab artificis naturae munere pendet,
Et quae sponte valent, arte valere putas?
Desine vana loqui livor, quid inania culpas?
Non stant judicio carmina nostra tuo.
Si licet, autores suavis reprehende leporis
Qui lepidis primos erudiere jocis.
Si tamen (ut nunquam potuisti) garrule Mome
Non potes hic mores dissimulare tuos.
Perge loqui, modo displiceam tibi nulla morabor.
Magna mihi laus est displicuisse tibi.
Hactenus invidiae respondimus, illa tacendo
Contemnenda mihi, vel superanda fuit.
Sed tamen est licitum teneram defendere Musam,
Da veniam, Lector, versibus ore meis.
Et placeat studium, placeat propensa voluntas,
Quam pia turba probat, quam probat ipse Deus
Nunc mea contingant, optato littore portum
Laxata in multos candida vela dies.

Finis Libri Quarti,
De Arte Iocandi.

NICODEMI FRISCHLINI

IN

EBRIETATEM,

Elegia, Ad I. Posthium.



Expetis inculto, vates cultissime, versu
Persequar ut fœtens Ebrietatis opus,
Damnaque, quæ dulci meretrix hæc blanda veneno
Plurima dat, Musa non remorante canam:
Vt monitu vatum Germania mota piorum
Contrahat insani turgida vela meri.
Efficiam, quod amice mones, atque omnia paucis
Exequar: incultis annue Christe modis.
Est locus Arctoo ferme conterminus axi,
Qua celeres voluunt Rhenus & Ister aquas.
Alta domus tecto, sublimibus alta columnis:
Grata domus puero, grata frequensque seni.
Cujus ad Eoum multo nidore vaporans
Est latus, & sapidis plena culina cibis.
Occiduum pigro dat longa cubilia somno:
Hic ubi perpetuis ructibus aura tepet.
Infima pars cellam vino pomisque refertam
Continet, & largo dolia plena mero.
In medio cinctum tabulis nitet æde lacunar,
Læsa manu fornax, læsa fenestra manu.
Stat mensa, & fuso nunquam fit sicca falerno,
Fœtorem hæc tota, spirat in æde gravem.
Vt cum quis foveam non clausa nare viator,
Aut fœdam, ducit qua via, transit haram.
Cantharus in gelida sedet illi proximus unda,
Omnia plena vitris, omnia plena scyphis.

Appo-

Apposita stant lance dapes, quis verna ministrat
Luxus, stant avidæ fercla parata gulæ.
Hæc circum ternis stipata sororibus audax
Ebrietas animo, corpore fracta, sedet.
A dextris Venus, à lævis Blasphemia, & ante
Prodiga mens: medium sed tenet ipsa locum.
Dii, quales oculi? quæ diri tempora vultus?
Vix equidem tali fronte Medusa fuit.
Luridus in vultu color, & vaga lumina torve
Igne micant, ciliis ulcera fœda scatent.
Pendula læna genis spirantique ore mephites,
Dente putris, buccis turgida, blæsa sono.
Inde manus tremulæ, prostrataq; membra podagra
Et formidatis venter opimus aquis.
Nullus honor, vestis quem conciliaret honesta:
Nuda puella humeris, nuda puella genu.
Quaque tegit reliqui furiales corporis artus,
Sordet, & est longo trita lacerna die.
Nulla quoque informem circundat zona puellam,
Iam pridem huic zonam solvit amica Venus.
Pro zona longum tunicas farcimen oberrat,
Gratior aurato baltheus iste sinu.
Amissis paritor nummis, ipsaque crumena,
Alea marsupi sustinet apta vicem.
Biblia lecturam vetuit soror altera quondam,
Chartarum ludos substituitque leves.
Nunc manibus gerit, & posita inter pocula tractat
Provocat his pueros, provocat hisce senes.
Monstrũ horrendũ, ingens, cunctis ornatibus orbũ,
Frondibus exceptis quæ decorare caput.
Nam placidis gaudet lasciva puella choreis.
Addit enim stimulos Liber, & alma Ceres.
Stant famulæ circum fœdæ, scelerumque ministræ
Exhaustos doctæ restituisse cados.
Ira, libido, furor, fastus, jactantia, cædes,
Fraus dolus, insidiæ, jurgia, flagra, minæ.
Conten-

Contentrixq; hominum superumq; superbia demens
 Atque aliæ, longus quas numerare labor.
Imminet ipsa mero, cyathoque sororibus instat:
 Cumque bibit, una sorbitione bibit.
Tum Veneri obscœno (pudet ipsum dicere) vitro
 Præbibit, & tremulum fundit in ora merum.
Quo simul incaluit, festas agitare choreas
 Appetit, adque ictam crura movere lyram.
Invitosque rapit stimulante furore maritos,
 Invitasque rapit, patre vetante, nurus.
Sublato clamore sonat domus, ista tremiscunt
 Atria: sub pedibus putrida terra gemit.
Pars oppleta vomit, pars voces tollit ineptas,
 Vt solet à scabra turpis asella mola.
Ipsa quoq; ante alios clamanda immanior omnes
 Ebrietas raucum tollit ad astra sonum:
Regia quo cœli, tellusque profunda remugit,
 Vicinæque omnes intremuere domus.
Iusserit hanc aliquis nimias compescere voces,
 Continuo illius gutture pugnus erit.
Tũ famulæ certatim omnes arma, arma loquentur,
 Pugnaque constricta cuspide surget atrox.
Iamque volant fragilesque cadi, curvique lebetes:
 Missa volant liquido pocula plena mero.
Tum soror horribiles edit Blasphemia voces,
 Inque ipsos spargit crimina multa Deos.
Vulnere Tartareas aliqui mittuntur ad umbras,
 Flebilis hoc nempe est Ebrietatis opus.
Quid loquar, ut patrio macularit sanguine dextras
 Sæpius heu: fratres tradideritque neci?
Quid? quod & incestu se polluit illa nefando
 Sæpius, heu vetitis accubuitque toris?
Illa suas Lothum jussit vitiare puellas:
 Nil sinit intactum Bacchicus esse liquor.
Illa patres facit esse suis ludibria natis:
 Ebrius ut toto monstrat in orbe Noas.

Illa

Illa suis properat funus lethale maritis,
Eumenis ut Phrygii tristia fata docent.
Vt docet Elpenor tecto delapsus ab alto,
Dum nimium lasso flabat ab ore merum.
Illa suos prædam facit hostibus esse maritos:
Exemplo ut monstras dux Holopherna tuo.
Et vos Trojani somno vinoque sepulti,
Argolica quorum mœnia capta manu.
Illa suos necat ense viros, heu sævior illis
Quæ pertusa Stygis dolia fonte replent.
Illa suos Erebum cultores ducit ad imum,
Ebriaque æterno carcere corda premit.
Illa suos nulla de causa occidit amicos:
Magnus Alexander qui mihi testis erit.
Compulit hæc Gallum secretam pandere mentem,
Compulit heu propria vim sibi ferre manu.
Hæc Macedum reges, & regna evertit: & olim
Attulit, Antoni, fata suprema tibi.
Nam tua ni turpi maduissent pectora vino,
Actia cæde nova non rubuisset aqua.
Vsque adeo mentemque abolet, corpusque trucidat
Æternisque premit cladibus Ebrietas.
O superi, nostras quis monstrum hoc duxit in oras?
Quæ peperit Mater? quo genitore sata est?
Non illam humani pestem genuere parentes,
Non ortum terris, non trahit illa polo.
Dis genuit furvi tetricas Acherontis ad undas,
Dis illam Stygiis abluit autor aquis.
Mater Avernali conceptam semine primum
Edidit, & Lethes abluit inde lacu.
Alecto mater: fœdeque trahenda puellæ
Vbera viroso turgida felle dedit.
Cerberus infantem consopiit ore trifauci,
Protulit in cunis sæva Megæra suis.
Inde pater Pluto tenebris eduxit adultam,
Posset ut huic aliquem consociare virum.

Pene pererratis totius finibus orbis
Aptus ei nullus, quem reperiret, erat.
In Scythiam venit, Scythia ejecêre coloni:
In Thracam rediit, Thraca removit humus.
Hic Pluto, Thracæ (proh Iupiter inquit, in oris
Quam nostra hæc olim grata puella fuit
Nunc odêre omnes, & sobrietatis amantes,
Heu quoque suppliciis ebria corda premunt.
Scilicet hoc meritis debebit Thracia tellus
Sive Anacharsi tuis, seu Mahometa tuis.
Dixit, & Æmathiis à tergo pone relictis
In latos Asiæ protinus ivit agros.
Non Asia admisit, non India, non Arimaspi:
Limina clausit Arabs limina clausit Ion.
Clausit & Ægyptus, tepidæ clausere Cyrene,
Getulo patuit nullus in orbe locus.
Hinc adit Hispanos, Hispania tota fugavit:
Mox petit Italiam, clausit & illa fores.
Evolat ad Gallûm superatis Alpibus urbes,
Sed riget obicibus janua fulta suis.
Omnibus exclusum lati regionibus orbis,
Heu Stygio monstrum de genitore satum,
Teutonus excepit, mensisque locavit, & ostro:
Magnificasque sua condidit urbe domos.
Quis pueri juvenesque bibunt, quis cana senectus
Pocula nocturnis æqua diurna facit.
Cætera prætereo, quis enim scelera omnia dicat?
Quis tam fœcundæ tot meretricis opes?
O vos degeneres: ô segnia pectora rebus
Fortibus: ô patribus turba nefanda tuis:
Martius his ardor detrudere finibus hostes,
Suasit, & invictum pace tenere solum:
Vos vino & somno, patrum præclara, sepulti
Linquitis heu turpi more, tropæa Getis.
Evigilate viri, dirumque expellite monstrum
Finibus, & patrii stringite moris iter.

Sobria

Sobria si fuerint Germanæ pectora genti,
Illa viris major totius orbis erit.
Laudibus ingenii non vincet Teutonas Auson:
Militis Hispanus cedet honore sui,
Consilio Gallus, velocibus Africus armis,
Germano Turcus præpete cedet equo.
Nec pharetra Moschus, nec diro Tartarus arcu
Germanûm frameas qui superabit erit.
Teuto suis vincet, quotquot Sol adspicit, armis
Terrarum populos Antipodumque manus,
Si te Bacche prius vincat, Furiisque creatæ
Respuat infelix Ebrietatis opus.
Quare agite è nostris horrendam pellite terris,
Gorgonea horrendam pellite fronte feram.
Teutona quotquot habet plaga sobrietatis amātes,
Pellite turbantem jugera nostra feram.
Et vos cum primis, male sobria turba, Poëtæ,
Mentibus ex vestris hanc agitate feram.
Vtque vagabundum Suevis in saltibus aprum
Circumstant avidi dente minace canes.
Sic armis illud vestris circumdate monstrum,
Cædeque prostratæ tingite tela feræ.
Vtque canem rabie correptum, intraque ruentem
Mœnia, saxorum grandine turba petit,
Sic vos Phœbeis immania terga sagittis
Sternite, & unanimi mittite tela manu:
Telaque missuri, vestigia stringite Posthi.
Vester hic Alcides, hic Melea gros erit.

FINIS.

Ex Menæchmis

Actor. I. *Scen.* I.

HOmines captivos qui catenis vinciunt,
Et fugitivis servis indunt compedes.
Nimis stulte faciunt, mea quidem sententia.
Nam homini misero malũ si accedit ad malum,
Major libido est fugere & facere nequiter.
Nam se ex catenis eximunt aliquo modo.
Tum compediti januam lima perterunt,
Aut lapide excutiunt clavum. nugæ sunt meræ.
Quem tu asservare recte, ne aufugiant voles,
Esca atque potione vinciri debet;
Apud mensam plenam homini rostrum deliges.
Dum tu illi quod edat & quod potet, præbeas
Arbitratu suo affatim quotidie:
Nunquam ædepol fugiet, tametsi capital fecerit,
Facile asservabis dum illo vinclo vincies.
Ita isthæc nimis lenta vincla sunt escaria:
Quam magis extendas, tanto astringunt arctius.

FINIS.

Variorum Auctorum

PRACTICA
ARTIS AMANDI,

ET

DECLAMATIONES

Philip. Beroaldi,

Contenta sequens pagina indicabit.



LVGD. BAT.
Ex Typographia rediviva.
Ann. cIↄ Iↄ c XLVIII.

Contenta.

Historia Euriali & Lucretiæ.
Literæ amatoriæ Hannibalis ad Lucretiam, Regis Epirotarum filiam.
Amatoris illiciti medela.
In effigiem amoris carmen.
Carmen Philip. Beroaldi de duobus amantibus.
Carmen amatorium Philip. Beroaldi.
Diræ in maledicam Lenam.
Declamatio ebriosi contra scortatorem.
Scortatoris & aleatoris recriminatio adversus ebriosum.
Declamatio pro Philosopho.
Declamatio pro Medico.
Musæus de Eri & Leandri amoribus.



LECTORI.

INcidimus nuper, Lector amice, in Æneæ Sylvii, viri ſuo ſeculo clariſſimi, Epiſtolarum Syntagma; in quo cum ad amicum paris cujuſdam nobilis amantum amores, non eos licitos quidem, aſt ardentes, hiſtoria concinna, ſtyloque haud ineleganti deſcriptos cerneremus, operæ nos pretium facturos cenſuimus, ſi, quam tenebræ hactenus contexerant, luci redderemus de-

ſcriptionem: non eo quidem conſilio ac fine, ut factum ipſum, non uſque adeo honeſtum, adoleſcentibus noſtris imitandum proponeremus; ſed ut ab illicitis eoſdem prurientibuſque amoribus abſterreremus potius, omnique conatu avocaremus. Neminem enim futurum exiſtimamus, qui, ubi ex vivo hoc exemplo didicerit, veriſſimum illud eſſe poëtæ, qui

Amori, inquit, *accedunt hæc vitia:*
Inſomnia, ærumna, error, & terror, & fuga,
Ineptia ſtultitiaq; adeo, & temeritas,
Incogitantia excors immodeſtia.
Petulantia, cupiditas & malevolentia,
Inhæret etiam aviditas, deſidia, injuria,
Inopia, contumelia & diſpendium, &c.

cum

cum Plauto illico, mille modis amorem ignorandum esse, procul adhibendum & abstinendum, non sit exclamaturus.

Adjunximus authoris cujusdam doctissimi doctissimas disceptationes duas, in quarum prima Aleæ, Scortationis & Ebrietatis, vitiorum pari ferme passu ambulantium, graphice depingitur; & ingeniose ostenditur turpitudo: altera vero Philosophiæ, Medicinæ, Oratoriæque splendor commonstratur & dignitas. Quas ideo sibi propositas meminerint adolescentes, ut illa, tanqu m scopulos periculosissimos studio vitent vitia & fugiant quam maxi-

mo: in has vero disciplinas, tanquam portum securissimum, pleno ruant velo.

Interseruimus minutula alia, quæ ad tædium ex gravioribus conceptum studiis eximendum, judicavimus idonea, quibus animi remittendi gratia, mecum candide Lector, utere, & vale.

HISTORIA DE EVRIALO ET LUCRETIA

ſe amantibus.



Rbem Senas, unde tibi & mihi origo eſt, intranti Sigiſmundo Cæſari, quot honores impenſi fuerint, jam ubique vulgatum eſt. Palatium illi apud ſacellum S. Marthæ, ſuper vicum, qui ad colophorum ducit portam, ſtructum fuit. Huc, poſtquam ceremoniæ peractæ ſunt, cum veniſſet Sigiſmundus, quatuor maritatas obviam habuit, nobilitate, forma, ætate, ornatuque pene pares: non mortales, ſed deas quiſque putavit: Si tres duntaxat fuiſſent, illæ videri poterant, quas referunt Paridem per quietem vidiſſe. Erat Sigiſmundus, licet grandævus, in libidinem pronus, matronarum alloquiis admodum oblectabatur, & fœmineis blandimentis gaudebat, nec ſuavius illi quicquam fuit illuſtratarum aſpectu mulierum. Vt ergo

has vidit, desiliens equo, inter manus earum exceptus est, & ad comites versus: Similes ne his fœminas, inquit, vidistis? Ego dubius sum, an facies humanæ sint: angelici vultus sunt: cœlestes certe. Illæ oculos humi dejicientes, ut verecundiores fiunt, sic pulchriores redduntur: sparso namque inter genas rubore, tales dabant ora colores, quales Indicum ebur ostro violatum, aut quales reddunt alba immixtis purpureis rosis lilia. Præcipuo tamen inter eas nitore Lucretia fulsit, adolescentula nondum annos viginti nata, in familia Camillorum. Menelao prædiviti viro nupta, indigno tamen, cui tantum decus domi serviret, sed digno, quem uxor deciperet, & sicut nos dicimus, cornutum quasi certum redderet. Statura mulieris eminentior reliquis: comæ illi copiosæ & aureis laminis similes, quas non more virginum retrorsus miserat, sed auro gemmisque incluserat: frons alta spaciique decentis, nulla infecta ruga: supercilia in arcum tensa, pilis paucis nigrisque debito intervallo disjuncta: oculi tanto splendore nitentes, ut in Solis modum respicientium intuitus hebetarent: his illa & occidere, quos voluit, poterat, & mortuos cum libuisset, in vitam resumere:

mere: nasus in filum directus roseas genas æquali mensura discriminabat: nihil his genis amabilius, nihilque delectabilius visu, quæ cum mulier risit, in parvam utrinque dehiscebant foveam: nemo has vidit, qui non cuperet osculari: os parvum decensque: labia corallini coloris ad morsum aptissima: dentes parvuli & in ordinem positi ex cristallo videbantur: tremula lingua discurrens non sermonem, sed harmoniam suavissimam movebat. Quid dicam menti speciem, aut gulæ candorem? nihil illo in corpore non laudabile. Interioris formæ judicium faciebat exterior: nemo hanc aspexit, qui viro non invideret. Erant insuper ejus in ore multæ facetiæ: sermo is fuit, qualem rumor est Grajorum matrem habuisse Corneliam, sive Ortesii filiam; nec suavius aliquid ejus oratione, nec modestius fuit. Non ut pleræque tristi facie honestatem ostendebat, sed alacri vultu modestiam: non timida, non audax, sed temperatum verecundiæ motum, virilem animum fœmineo in corde gerebat. Vestes illi multiplices erant; non monilia, non fibulæ, non balthei, non armillæ deerant: ridimicula capitis mirifica: multi uniones adamantesque tum in digitis, tum in serto fuêre. Non

Helenam pulchriorem fuisse crediderim, quo die Paridem in convivium Menelaus excepit : nec ornatiorem Andromachen, cum sacris Hectoris initiata est nuptiis. Inter has & Katharina Petrusici fuit, quæ paulo post die functa, Cæsarem in funeribus habuit, qui & natum ejus militia ante sepulchrum donavit, quamvis infantem. Hujus quoque mirabile formæ decus elucebat, inferior tamen Lucretia erat : omnis de Lucretia sermo audiebatur : hanc Cæsar, hanc cæteri commendabant, intuebanturque, quocunque illa vertebatur, eo & oculi sequebantur astantium : Et sicut Orpheus sono cytharæ sylvas ac saxa secum fertur traxisse, sic ista homines, suo quocunque videbat intuitu, ducebat. Vnus tamen inter omnes plus æquo in illam ferebatur, Eurialus Franco, quem nec amori forma, nec divitiæ reddebant ineptum: duorum & triginta annorum erat, non eminentis staturæ, sed lætæ gratæque habitudinis, illustribus oculis, magis ad gratiam tumescentibus, cæteris membris non sine quadam majestate decoris naturæ correspondentibus. Reliqui curiales propter longinquam militiam omnes auro excussi erant ; hic quia domi abundabat, & propter amicitiam Cæsaris magna munera

reci-

recipiebat, indies ornatior conſpectibus hominum reddebatur: longum ſamulorum ordinem pone ducebat: nunc auro illitis, nunc muricis Tyrii ſanguin e tinctis, nunc filis, quæ ultimi legunt Seres, textis veſtibus utebatur: tum equi tales illi erant, quales in fabulis eſt, ad Trojam veniſſe Memnonis. Nihil huic ad excitandum illum blandum animi calorem, magnamque mentis vim, quem vocant amorem, præter ocium deerat. Sed vicit juventa, & luxus tam læta fortunæ bona, quibus ille nutritur; nec potens Eurialus ſui, ut Lucretiam vidit, ardere puellam cœpit, hærenſque vultu, nihil ſatis vidiſſe putabat: nec impune dilexit. Mira res; multi egregia forma juvenes, ſed unum hunc Lucretia; plures honeſti corporis mulieres, ſed hanc unam Eurialus ſibi delegit. Non tamen hac ipſa die, vel in ſe flammam Lucretia cognovit Euriali, vel ille Lucretiæ, ſed amare ſe fruſtra uterque putavit. Vt igitur ceremoniis ſacro Cæſaris capiti paratis, modus fuit, & illa domum reverſa, in Eurialum tota; & in Lucretiam totus Eurialus ferebatur. Quis nunc Thiſbes & Pirami fabulam demiretur? inter quos notitiam primoſque gradus vicinia fecit: & quia domos habuere con-

contiguas, tempore crevit amor: hi nunquam se prius viderant, nec fama cognoverant: hic Franco, illa Hetrusca fuit: nec linguæ commertium intercessit, sed oculis tantum res acta est, cum alter alteri placuisset: saucia ergo gravi cura Lucretia, & igne capta cæco, jam se maritatam obliviscitur: virum odit: & alens Venereum vulnus, infixos pectore tenet Euriali vultus, nec ullam membris suis quietem præbet: secum (nescio, quid obstat) ait: ut amplius hærere viro nequeo; nil me juvant ejus amplexus; nil oblectant oscula; fastidium verba ingerunt; peregrini semper ante oculos est imago, qui propior erat Cæsari. Excute conceptas è casto flammas pectore, si potes; Infœlix, si possem, non essem ægra, ut sum, nova me vis invitam trahit: aliud cupido suadet, aliud mens: scio quid sit melius, quod deterius est, sequor: ô civis egregia ac nobilis, quid tibi cum peregrino est? quid in extraneo ureris? quid thalamos alieni concupiscis orbis? Si virum fastidis, hæc etiam dare potest terra, quem ames. Sed heu mihi, quæ non illius est facies? quam non moveat ejus forma? ætas, genus, virtus: Certe mea pectora movet, & nisi fert opem, despero: Dii meliora dent.

Vah,

Vah, prodam ego castos hymenæos, meque advenæ, nescio cui, credam, qui ubi abusus me fuerit, abeat, virque sit alterius, & me pone relinquat? Sed non is est ejus vultus, non ea nobilitas animi videtur, nec gratia formæ illa est ut timeam fraudes, & amoris oblivia nostri, & dabit ante fidem. Cur tuta timeam? accingar, & omnem timorem pellam: ego quoque ita sum pulchra, ut non me minus ille velit, quam ego ipsum cupiam. Semper se mihi debebit, si semel ad oscula receptus fuerit mea. Quot me ambiunt proci, quoquo pergo? quot rivales ante fores excubant meas? Dabo amori operam: aut hic manebit, aut me secum abiturus abducet. Ergo ego & matrem & virum & patriam relinquam? Sæva est mater & meis semper infesta gaudiis: viro carere quam potiri malo: patria illic est, ubi delectat vivere. At famam perdam: quid mihi rumores hominum, quos ipsa non audiam: nihil audet, qui famæ nimis studet: multæ hoc fecerunt aliæ. Rapi voluit Helena, non eam invitam asportavit Paris. Quid Adrianam referam vel Medeam? Nemo errantem arguit, qui cum multis errat. Sic Lucretia: nec intra pectus minora iecundia nutriebat

Eurialus,

Eurialus. Medias inter Cæsaris curiam & domum Lucretia ædes habuit, nec Palatium petere Eurialus poterat, quin illam ex altis sese ostentantem fenestris haberet in oculis: sed erubuit semper Lucretia, cum Eurialum vidit, quæ res Cæsarem dedit amoris conscium. Nam cum ex sua consuetudine nunc huc, nunc illuc equitaret, & hac sæpe transiret, animadvertit mutari fœminam Euriali adventu, qui ipsi quasi Octaviano Mœcenas astabat; ad quem versus: En Euriale siccine uris fœminas? mulier illa te ardet. Aliquando vero tanquam invideret amanti, ubi ad ædes Lucretiæ ventum est, Eurialo oculos pileo contexit: nec videbis, inquit, quod amas, ego hoc spectaculo fruar. Tum Eurialus: quid hoc signi est Cæsar? nihil mihi cum ulla est: sed hoc facere incautum est, ne circumstantes in suspicionem adducas. Erat Eurialo spadix equus, arduæ cervicis, argutique capitis, quem & brevis alvus & obesa terga spectabilem reddebant, animoso pectore, thoris luxuriantem, qui sonante tuba stare loco nesciebat, nutabat auribus, volvebat sub naribus ignem, densa juba & dextro jactata recumbebat in armo, & cavans tellurem solido cornu graviter sonabat ungula. Similis illi fiebat Eurialo

viso

viſo Lucretia; quæ licet dum ſola fuit, claudere viam deſtinaſſet amori; ut tamen illum aſpexit; nec modum flammæ, nec ſibi ponebat: ſed ut ſiccus ager, qui admiſſo igne comburitur, ſi Cori perflant, altius flammeſcit: ſic infelix Lucretia exardeſcebat. Ita eſt ſane ut ſapientibus videtur, humiles tantum caſas inhabitat caſtitas, ſolaque paupe-ries affectu ſano tenetur, & quæ domo ſe cohibet modica, divites ædes neſcit pudicitia: quiſquis ſecundis rebus exultat, luxu fluit, ſemperque inſolita appetit: delicatas eligit domos, & penates magnos diræ fortunæ comes libido. Intuens igitur Eurialum, quam ſæpe tranſeuntem Lucretia, nec ardorem compeſcere potens, diu ſecum cogitavit, cui ſe patefaceret: nam qui tacitus ardet, magis uritur. Erat inter viri ſervos Soſias theutonicus ſenex, heroque fidus, cui jam diu ſerviebat liberaliter, hunc aggreditur amans, plus nationi quam homini credens. Ibat magna procerum ſtipante caterva per urbem Cæſar, jamque domum Lucretiæ præteribat, quæ ubi adeſſe cognovit Eurialum, adeſto, inquit, Soſia, paucis te volo: reſpice deorſum ex feneſtra, ubinam gentium inventus eſt huic ſimilis? Vide, ut omnes

calami-

calamistrati sunt, erecti, eminentibus humeris; aspice Cæsaries & madido tyro contortos crines: ô quales facies? omnes lactea colla ferunt; quo sese ore ferunt? quam forti pectore? aliud est hoc hominum genus, quam terra nostra producat: semen hoc Deorum est, aut cœlo missa progenies. O si mihi ex his virum fortuna dedisset: nisi testes oculi essent, nunquam tibi hoc narranti credidissem, etsi fama fert omnibus gentibus præstare Germanos; credo subjectam boreæ plagam, ex frigore magno albedinem mutuari. Sed nosti tu aliquos? quamplurimos, inquit Sosias: Tum Lucretia, scio quod in apertum non ibit; hanc spem mihi tua bonitas facit: Ex his, qui Cæsari astant, nemo mihi est Eurialo gratior: in hunc animus meus commotus est: nescio quibus exuror flammis: nec illum oblivisci, nec mihi pacem possum dare, nisi ei me facio notam: perge, oro Sosia, conveni Eurialum, dic me ipsum amare: nil volo ex te amplius, nec tu frustra hoc nuncium facies. Quid audio, refert Sosias: hæccine me flagitia facere aut cogitare? Hera prodamne ego dominum meum? Iamque senex incipiam fallere, quod juvenis abhorrui? quin potius clara progenies

hujus

hujus urbis, exturba nefandas flammas è casto pectore, nec obsequere diræ spei: Extingue ignem: non ægre amorem pellit, qui primis obstat insultibus: qui dulce malum blandiendo nutrit, duri & insolentis domini servituti se dat: nec cum vult, excutere jugum potest. Quid, si hoc rescierit maritus? heu quibus te ille laceraret modis: nullus diu latere potest amor. Tace, inquit Lucretia, nihil loci terrori est: nihil timet, qui non timet mori: quemcunque dederit exitum casus, feram. Quo misera pergis? Sosias retulit, domum infamem reddes, solaque tui generis eris adultera: tutum esse facinus reris? Mille circa te oculi sunt: non sinet genetrix occultum scelus, non vir, non cognati, non ancillæ: servi ut taceant, jumenta loquentur, & canes, & postes, & marmora te accusabunt: atque sicut celes hæc omnia, qui videt omnia, celare non potes Deum: quid pœna præsens, conscientiæ pavor? & animus culpa plenus, seque ipsum timens? negata est magnis sceleribus fides: compesce, obsecro, impii amoris flammas: expelle facinus mente casta horridum, metue concubitus novos miscere thalamis mariti. Scio rectum esse, quod dicis, retulit Lucretia, sed furor cogit sequi pejo-

ra:

ra : ſcit animus, quantum præcipitium inſtet, & ruit ſciens, vincit & regnat furor, potenſque mente tota dominatur amor. Stat ſequi, quod regnum amoris jubet: nimis, heu nimis reluctata ſum fruſtra:perfer,ſi mei te miſeret,nuncium. Ingemuit ſuper his Soſias, perque has, dixit, canas ſenectutis meæ comas, feſſumque curis pectus, & fida quæ præbui generi tuo ſervitia, precor ſupplex, ſiſte furorem, teque ipſam adjuva : pars ſanitatis eſt velle ſanari. Tum Lucretia, non omnis, ait, ingenium reliquit pudor, parebo tibi Soſia: unicum effugium eſt hujus mali, morte ut præveniam nefas. Exterritus hac Soſias voce, moderare, inquit, hera mentis effrenæ impetus, coërce animos : tu vita es digna, quæ te nece dignam putas. Decretum eſt, ait Lucretia, mori: admiſſum ſcelus Collatini uxor gladio vindicavit, ego honeſtius morte præveniam committendum : genus lethi quæro ferro, laqueo, præcipitio, veneno: vendicare caſtitatem licet : unum horum aggrediar. Non patiar, inquit Soſias. At, Lucretia, ſi quis mori conſtituit, prohiberi non poteſt, & Portia Catonis filia mortuo Bruto, cum ferrum ſibi ſubtractum eſſet, carbones ardentes ebibit. Si tam protervus, inquit Soſias, incumbit

menti

menti furor tuæ, vitæ potius quam famæ consulendum est: fallax sæpe fama est, quæ malo melior, bono pejor nonnunquam datur: tentemus hunc Eurialum, & amorì operam demus: meus erit iste labor, tibique ni fallor, rem confectam dabo. His dictis incensum animum inflammavit amore, spemque dedit dubiæ menti: sed non illi animus erat, ut quod dixerat, esset facturus; differre animum fœminæ quærebat, furoremque minuere: ut sæpe tempus extinguit flammas, & adimit ægritudinem, existimavit Sosias, falsis gaudiis puellam producere, donec vel Cæsar abiret, vel mens illius mutaretur, ne, si negasset, alius nuncius quæreretur, aut in se manus mulier injiceret: sæpe igitur ire atque redire se finxit, & illum gaudere amore suo, & tempus idoneum quærere, quo invicem affari possent: dixit interdum non fuisse loquendì oportunitatem: nonnunquam se mittì extra urbem studuit, atque in reditum gaudia distulit: sic diebus multis ægrotum pavit animum: & ne per omnia mentiretur, semel tandem adorsus Eurialum: ô quam hic dilectus es, ait, si scires: nec illi, quid hoc esset, quærenti, ultra respondit. At Eurialus certe Cupidinis arcu percussus, nullam membris quietem

dabat,

dabat, igne furtivo populante venas, qui totas penitus vorabat medullas: non tamen Sosiam novit, nec à Lucretia missum putabat, ut omnes minus spei habemus, quam cupiditatis. Hic ubi ardere se vidit, diu prudentiam suam miratus est, seque multoties increpavit: Euriale, quid sit amoris imperium, nosti: longi luctus, breves risus: parva gaudia, magni metus: Semper moritur, & nunquam mortuus est, qui amat: quid tu his nugis instas iterum? At cum se frustra niti videret, quid tandem, ait, incassum miser amori repugno? non mihi licebit, quod Iulio licuit? quod Alexandro? quod Hannibali? sed quid viros armatos refero? Aspice poëtas, Virgilius per funem tractus ad mediam turrim pependit, dum se mulierculæ sperat usurum amplexibus: excuset quis poëtam ut laxioris vitæ cultorem: quid de Philosophis dicemus disciplinarum magistris, & artis bene vivendi præceptoribus? Aristotelem tanquam equum mulier ascendit, fræno coërcuit, & calcaribus pupugit. Diis æqua potestas est Cæsaris. Non est verum, quod vulgo dicitur:

Non bene conveniunt, nec in una sede morantur
Majestas & amor.

Quis

Quis major est amator quam noster Cæsar? quoties hic amori dedit operam? Herculem dicunt, qui fuit fortissimus & certa deorum soboles, pharetris, & leonis spolio positis, colum suscepisse, passumque aptari digitis Smaragdos, & dare legem rudibus capillis, & manu, quæ clavam gestare solebat, properante fuso duxisse fila. Naturalis est hæc passio: sentit ignes genus aligerum.

Nam niger à viridi turtur amatur ave:
Et variis albæ junguntur sæpe columbæ,

si verborum memini, quæ ad Pharaonem Siculum scribit Sapho. Quid quadrupedes referam? movet pro conjugio bella jumentum: timidi cervi prælia poscunt, & concepti furoris dant signa mugientes: uruntur hircanæ tygrides. Vulvicus aper dentes acuit. Pæni quatiunt terga leones. Cum movit amor, ardent insanæ ponti beluæ: nihil immune est, nihil amori negatum: amor juvenum feroces concitat flammas, senibusque fessis rursus extinctos revocat calores: Virginum ignoto ferit igne pectus. Quid ego naturæ legibus renitar?

Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.

Hæc ubi firmata sunt, Lenam quærit, cui ceras ad nuptam ferendas committat: Nisus huic fidus comes erat, harum re-

rum

rum callidus magiſter: hic provinciam ſuſcipit, mulierculamque conducit, cui literæ committuntur in hanc ſententiam ſcriptæ.

Prima epiſtola Eurialí.

SAlutarem te Lucretia, meis ſcriptis, ſi qua mihi ſalutis copia foret: ſed omnis tum ſalus, tum vitæ ſpes meæ ex te dependet. Ego te magis quam me amo: nec te puto latere meum ardorem læſi pectoris. Index tibi eſſe potuit vultus meus, ſæpe lachrymis madidus, & quæ te vidente emiſi ſuſpiria. Fer benigne, te precor, ſi me tibi aperio. Cœpit me decus tuum, vinctumque tenet eximia, qua omnibus præſtas, venuſtatis gratia. Quid eſſet amor antehac neſcivi; tu me cupidinis imperio ſubjeciſti: pugnavi diu, fateor, violentum ut effugerem dominum, ſed vicit meos conatus ſplendor tuus: vicerunt oculorum radii, quibus es Sole potentior: Captivus ſum tuus, nec jam mei amplius compos ſum. Tu mihi & ſomni & cibi uſum abſtuliſti: Te dies noctéſque amo: te deſidero: te voco: te expecto: de te cogito: te ſpero: de te me oblecto: tuus eſt animus; tecum ſum totus; tu ſola ſer-

ſervare potes,ſolaque perdere. Elige horum alterum, & quid mentis habeas, reſcribe, nec durior erga me verbis eſto, quam fuiſti oculis, quibus me colligaſti. Non peto rem grandem: ut alloquendi te copiam habeam poſtulo: hoc tantum volunt hæ literæ, ut quæ nunc ſcribo, dicere poſſim coram: hoc ſi das, vivo, & fœlix vivo; ſi negas, extinguitur cor meum, quod te magis, quam me amat. Ego me tibi & tuæ commendo fidei. Vale anima mea & vitæ ſubſidium meæ.

Has ubi gemma ſignatas accepit Lena, feſtino gradu Lucretiam poſcit, eaque ſola inventa: hanc, inquit, epiſtolam tibi tota Cæſarea nobilior & potentior curia mittit amator, & ut tu ſui miſerearis, magnis precibus rogat. Erat Lenocinio notata mulier, nec illud Lucretiam latitabat, permoleſteque tulit, infamem fœminam ad ſe mitti: atque in eam verſa, quæ te ſceleſta in hanc domum audacia duxit? quæ te dementia meam adire potentiam ſuaſit? Tu nobilium ædes ingredi? tu matronas tentare potentes, & violare audes legitimas faces? Vix me contineo, quin capillos involem tuos: tu mihi des literas? tu me alloquaris? tu me reſpicias? niſi plus, quod me decet, attenderem, quam quod tibi convenit, effi-

efficerem hodie, ne posthac unquam tabellas amatorias ferres: ocyus te venefica tuasque literas defer, imo da, ut lacerem, potiusque igni dedam; arripiensque papyrum, in partes diversas scidit,& calcatam sæpe pedibus atque consputam in cinerem conjecit: at sic de te, ait, sumi supplicium Lena deberet, igne quam vita dignior: sed abi ocyus, ne te vir offendat meus, & quas tibi remisi, de te poscat pœnas, cavetoque admodum, ne ante conspectum redeas meum. Timuisset alia mulier: sed hæc matronarum noverat mores, & intra se inquit: nunc vis maxime, quia te nolle ostendis: moxque ad illam, parce, ait, domina: putavi me bene facere, tibique complacitum iri, si secus est, da veniam imprudentiæ meæ, si non vis, ut redeam, parebo: tu, quem despicis amatorem, videris: atque his dictis è conspectu recessit. Eurialoque invento: respira, inquit, fœlix amator,plus amat mulier,quam amatur: sed nunc non fuit rescribendi ocium; inveni mœstam Lucretiam; at ubi te nomino tuasque literas dedo, hilarem vultum fecit,milliesque papyrum basiavit: ne dubita, mox responsum dabit, & abiens vetula, cavit, ne amplius inveniretur, ne pro verbis referret verbera. Lucretia vero, postquam

anus

anus evasit, fragmenta perquirens epistolæ, particulas quasque suo loco reposuit, & lacera verba contexuit: jamque legibile chirographum fecerat; quod postquam millies legit, millies quoque deosculata est, tandemque involutum syndone inter pretiosa jocalia collocavit: & nunc hoc repetens, nunc illud verbum, majorem in singulas horas bibebat amorem, Eurialoque rescribere statuit, atque hunc in modum dictatam epistolam misit.

Rescriptum Lucretiæ:

DEsine sperare, quod assequi non licet Euriale: parce nunciis ac literis me vexare, nec me illarum ex grege credito, quæ se vendunt: non sum quam putas, nec cui submittere Lenam debeas, quære aliam incestandam: me nullus amor, nisi pudicus sequatur, cum aliis ut libet, agita: Ex me nil postules temere atque indignum. Vale.

Hæc epistola, quamvis durior visa est Eurialo, & contra Lenæ dicta, viam tamen ostendit, ultro citroque literas missitandi: nec dubitavit Eurialus credere, cui fidem Lucretia præbuisset, sed angebatur, quia sermonis Italici nescius erat,

ideoque ferventi ſtudio curabat addiſcere: Et quia ſedulum faciebat amor, brevi tempore doctus evaſit, ſoluſque dictavit epiſtolas, qui prius ab aliis mutuabatur, quicquid Hetruſco ſermone ſcribi oportuit. Reſpondit ergo Lucretiæ, fruſtra ſuccenſum eſſe ſibi, quod infamem ſubmiſerit fœminam, cum id ſe peregrinum lateret, qui alio uti nuncio non potuerit. Miſſionis amorem fuiſſe cauſam, qui nihil quæreret inhoneſti: credere ſe eſſe ipſam pudicam caſtiſſimamque, atque idcirco majori dignam amore: inſolentem ſœminam, honoriſque ſui prodigam, nedum ſe diligere, ſed maximo odio proſequi: pudicitia namque amiſſa, nil eſſe quod in fœmina commendetur: Formam eſſe delectabile bonum, ſed fragile atque caducum: & cui niſi pudor aſſit, nihil pretii detur: quæ pudicitiam formæ adjunxerit, eam divinam eſſe mulierem: ipſam utraque dote pollentem ſcire, ac propterea coli à ſe. qui nil ab ea peteret libidinoſum aut offenſurum famæ: optare ſe tantum alloqui, ut animum ſuum, qui ſcriptis plene oſtendi nequit, verbis aperiat. Cumque his literis munera miſit, non ſolum materia, ſed opere etiam pretioſa.

Ad

Ad haec Lucretia sic rescripsit.

ACcepi literas tuas, jamque nil amplius de Lena queror. Quod me amas non magni facio, quia nec primus es, nec solus, quem mea forma decepit. Multi & amarunt & amant me alii, sed ut illorum, sic & tuus erit vacuus labor: habere verba tecum nec possum, nec volo: invenire me solam ni fias hirundo, non potes: altæ sunt domus, & aditus custodia clausi. Munera tua suscepi, quia oblectat me opus illorum:sed ne quid tuum gratis apud me sit, neve hoc pignus videatur amoris, remitto ad te annulum, quem matri meæ vir dedit, ut apud te precium quasi sit venditorum jocalium, nec enim minoris est gemma ejus, quam munus tuum. Vale.

His Eurialus sic replicavit.

MAgno mihi gaudio fuit epistola tua, quæ finem querelis fecit de Lena: angit me, quod amorem parvipendas meum. Nam etsi plures te amant, nullorum tamen ignis comparandus est meo. At tu hoc non credis, quia loqui nequeo tecum, id si daretur, non

me contemneres. O utinam fieri possem hirundo: sed libentius transformari in pulicem vellem, ne mihi fenestram clauderes. At ego non quod nequeas, sed quod nolis, doleo. Nam quid ego nisi animum respicio? Ah mea Lucretia, quid dixti, te nolle? an si posses, me nolles alloqui? qui tuus sum totus; qui nihil cupio magis, quam tibi gerere morem, quem si jubes in ignem ire, citius obediam, quam præcipias. Mitte, obsecro, verbum hoc: si non datur facultas, adsit tamen voluntas: ne me verbis eneca, quæ vitam mihi oculis præbes. Si non placet, me alloqui petere, quia non sit impetrandum, obsequar. Sed muta sententiam illam, quæ meum laborem vacuum dixisti futurum. Absit hæc crudelitas, mitior esto amanti tuo: si perges sic loqui, fies homicida, nec dubita, facilius tu me verbis interimes, quam quivis alius gladio. Desino jam plura poscere, ut redames, tamen postulo: nihil hic est quod objicias; nemo potest hoc te prohibere: dic te me amare, & beatus sum. Munuscula mea quovis modo apud te sint, est gratum, illa te aliquando mei admonebunt amoris, sed parva illa fuerunt, & minora sunt, quæ nunc mitto: tu tamen noli spernere, quod amator donat,

nat. Majora, quæ indices ex patria mihi debent afferri, cum aderunt, ex me recipies. Annulus tuus nunquam ex digito meo recedet, & illum vice tua crebris osculis reddam madidum. Vale delicium meum, & mihi, quod potes, solatium dato. Sic frequenter, cum replicatum esset, in hunc tandem modum Lucretia dedit Epistolam.

VEllem tibi Euriale morem gerere, teque, ut petis, amoris mei participem facere; nam id tua nobilitas meretur, & mores tui deposcunt, ut in cassum non ames: taceo quantum mihi placeat forma tua, & plena benignitatis facies: sed mihi non usui est, ut diligam. Nosco meipsam: si amare incipiam, nec modum, nec regulam servabo: tu diu hic esse non potes, nec ego te, postquam in ludum venerim, possem carere: tu me noles abducere, & ego noluero manere. Monent me multarum exempla, quæ per peregrinos amantes desertæ sunt, ne tuum amorem sequar. Iason Medeam decepit, cujus auxilio vigilem interemit draconem, ut vellus aureum asportaret. Tradendus erat Theseus in escam Minotauro: sed Adriano consilio fretus evasit; illam tamen desertam apud insulam dimisit.

Quid Dido infœlix, quæ profugum recepit Aeneam, annon illi peregrinus amor interitum dedit? Scio quantum periculi sit amorem extraneum admittere, nec me tantis objiciam discriminibus. Vos viri solidioris estis animi, furoremque magis compescitis: fœmina ubi furere incipit, sola potest morte assequi terminum: non amant, sed insaniunt mulieres; & nisi correspondeat amor, nil est amante fœmina terribilius: postquam receptus est ignis, nec famam curamus, nec vitam, unicum remedium est, si copia sit amari. Nam quo magis caremus, magis cupimus: nec discrimen timemus ullum, dum nostræ libidini satisfiat. Mihi ergo nuptæ, nobili, diviti, consultum est amori viam præcludere, & tuo præsertim, qui nō potest esse diuturnus, ne vel Rhodopia Phyllis dicar, vel altera Sappho. Ideo te oratum volo, ne ultra meum exposcas amorem, & tuum, ut paulatim comprimas extinguasque: nam id est viris quam fœminis multo facilius. Nec tu, si me, ut dicis, amas, id ex me quærere debes, quod mihi exitio sit. Pro tuis donis remitto auream crucem, margaritis ornatam, quæ licet brevis sit, non tamen pretio caret. Vale.

Non tacuit Eurialus his acceptis, sed

ut

ut erat novis ſcriptis incenſus, calamum ſuſcepit, atque ſub hac forma dictavit epiſtolam.

Euriali reſcriptum.

SAlve anime mi, Lucretia, quæ me tuis literis ſalvum facis, etſi nonnihil fellis immiſceas, ſed hoc ſpero, me audito detrahes. Venit meas in manus epiſtola tua clauſa, & tua gemma ſignata, hanc & legi ſæpe, & deoſculatus ſum ſæpius: ſed hæc aliud ſuadet, quam tuus videtur animus fuiſſe. Rogas me,ut amare deſinam, quia non expedit tibi peregrini flammas amoris ſequi: & ponis exempla deceptarum: & hoc tam ornate culteque ſcribis, ut mirari magis & amare tuum ingenium debeam, quam obliviſci. Quis ille eſt, qui tunc amare deſinat, quando prudentiorem & ſapientiorem animadvertit amicam? Si meum minuere volebas amorem, non oportuit doctrinam tuam oſtendere. Nam hoc non eſt incenſum extinguere, ſed ignem maximum ex parva conflare favilla. Ego dum legi, magis exarſi, videns formæ tuæ præclaræ, & honeſtati, conjunctam eſſe doctrinam. Verba ſunt tamen, quibus rogas, ut amare deſiſtam: roga mon-

tes, ut in planum deveniant, utque fontes sua repetant flumina; tam possem te non amare, quam suum relinquere Phœbus cursum. Si possunt carere nivibus Scythiæ montes, aut maria piscibus, & feris sylvæ; poterit & oblivisci Eurialus tui. Non est pronum viris, ut reris Lucretia,, flammas extinguere; nam quod tu nostro sexui ascribis, plerique vestro assignant. Sed nolo hoc certamen nunc ingredi; ad ea me respondere oportet, quæ in adversum retulisti. Idcirco enim nolle te mihi correspondere amanti significas, quoniam multas peregrinus amor decepit: exemplaque ponis. Sed possem ego quoque plures referre, quos fæmina reliquerunt. Troilum, sicut nosti, Priami filium, Chryseis decepit. Deiphobum Helena prodidit. Amatores Circe suos medicamentis vertebat in sues, atque aliarum terga ferarum. Sed iniquum est ex paucarum consuetudine totum vulgus censere, nam si sic peregrinos, ut tu propter duos tresve malos, aut etiam decem, viros omnes accusabis horrebisque, & propter totidem fœminas, cæteræ omnes erunt odio mihi. Quinpotius alia sumamus exempla. Qualis amor Antonii Cleopatræque fuit, & aliorum, quos epistolæ brevitas referre

referre non sinit? Si tu Ovidium legisti, invenisti post Trojam dirutam Achivorum plurimos, dum remeant, peregrinis retentos amoribus, nunquam in patriam revertisse: hæserunt namque amatricibus suis, carereq; potius necessariis domi regnis, & aliis, quam sunt in patria cuique gratissima voluerunt. Quam amicas relinquere, hæc te rogo mea Lucretia, cogites, non illa, quæ nostro sint amori adversa, & quæ pauci fecerunt. Ego ea mente te sequor, ut perpetuo te amem, simque perpetuo tuus. Nec tu me peregrinum dixeris, magis namque civis sum, quam quę hic nascitur; nam illum casus facit civem, me vero electio. Nulla mihi patria erit, nisi ubi tu sis. Et quamvis contingat me aliquando hinc abire, reditus tamen festinus erit. Nec ego in Theutoniam revertar, nisi res meas compositurus ordinaturusque, ut tecum esse quamdiu possim. Facile manendi apud te reperietur occasio: multa in his partibus negocia Cæsaris sunt, hæc mihi committi expedienda curabo: nunc legatione fungar, nunc aliud munus exercebo: Vicarium in Hetruria Cæsarem habere oportet, hanc ego provinciam impetrabo, ne dubita suavium meum Lucretia, meum cor, spes mea, Si vivere absque corde pos-

possum, & relinquere possum. Age jam tandem miserere amantis tui, qui tanquam ad solem nix eliquescit. Considera meos labores, & modum jam diu meis martyriis statue. Quid me tamdiu crucias? Miror ego, qui tot perpeti tormenta potuerim; qui tot noctes insomnes duxi: qui tot jejunia toleravi Vide quam macer sum, quam pallidus sum: parva res est, quæ spiritum corpori alligatum detinet. Si tibi aut parentes aut filios occidissem, non poteras de me majus quam hoc supplicium sumere. Si sic me punis, quia te amo, quid illi facies, qui tibi damnum dederit aut malum. Ah mea Lucretia, mea hera, mea salus, meum refrigerium, suscipe me in gratiam: demum rescribe me tibi charum esse: nihil aliud volo. Liceat mihi dicere, servus lucretiæ sum: & Reges & Cæsares amant servos, ubi fideles norunt: Nec dii dedignantur redamare, qui amant. Vale spes mea.

Vt turris, quæ fracta interius, inexpugnabilis videtur exterius, si admotus aries fuerit, mox confringitur: ita Euriali verbis Lucretia victa est. Postquam enim sedulitatem amantis aperte cognovit, & ipse dissimulatum patefecit amorem, atque his literis Eurialo se aperuit.

Con-

Consensio in mutuum amorem.

NOn possum tibi ultra adversari, nec te amplius Euriale mei amoris expertem habere. Vicisti: jamque sum tua. Me miseram, quæ tuas suscepi literas, nimium multis exponenda sum periculis, nisi me tua fides & prudentia juvet: Vide, ut serves, quæ scripsisti: In amorem jam tuum venio: si me deseris, & crudelis, & proditor, & omnium pessimus es. Facile est fœmellam decipere, sed quanto facilius, tanto turpius. Adhuc res integra est, si putas me deserendam, dicito, antequam magis amor ardeat; nec incipiamus, quod postmodum incepisse pœniteat. Omnium rerum inspiciendus est finis. Ego, ut fœminarum est, parum video: tu vir es, te mei & tui curam habere oportet. Do me jam tibi, tuamque prosequor fidem, nec tua esse incipio, nisi ut sim perpetuo tua. Vale meum præsidium, meæque ductor vitæ.

Post plures epistolæ missæ utrinque sunt, nec tam ardenter Eurialus scripsit, quam ferventer Lucretia respondit. Vnum jam utriusque desiderium erat simul conveniendi, sed arduum & pene impos-

impoſſibile videbatur, omnium oculis Lucretiam obſervantibus, quæ nec ſola unquam egrediebatur, nec unquam cuſtode carebat. Nec tam diligenter bovem Iunonis Argus cuſtodivit, quam Menelaus juſſerat obſervari Lucretiam. Vitium hoc apud Italos late patet, fœminam ſuam quaſi theſaurum quiſque occulit & concludit, meo judicio minus utiliter. Sunt enim fere hujuſmodi mulieres omnes, ut id potiſſime cupiant, quod maxime denegatur: quæ ubi velis, nolunt: ubi nolis, cupiunt ultro: hæ ſi liberas habent habenas, minus delinquunt. Exinde tam facile eſt invitam cuſtodire mulierem, quam in ferventi Sole pulicum gregem obſervaſſe. Niſi ſuapte ſponte caſta ſit mulier, fruſtra maritus nititur ponere ſeram, & cohibere. Sed quis cuſtodiat iſtos cuſtodes? Cauta eſt, & ab illis incipit uxor. Indomitum eſt animal mulier, nulliſque frenis retinendum. Erat Lucretiæ ſpurius frater, huic tabellas commiſerat Eurialo deferendas, hunc enim ſui amoris conſcium fecerat: cum hoc igitur convenitur, Eurialum ut clam domi ſuſcipiat. Habitabat hic apud novercam ſuam Lucretiæ matrem, quam Lucretia ſæpe viſitabat & ab ea ſæpius viſitabatur, nec enim

magno

magno intervallo distabat. Ordo ergo his erat, ut clauso in conclavi Eurialo, postquam mater ecclesiasticas aditura ceremonias exivisset, Lucretia superveniret, tanquam matrem domi conventura, qua non inventa reditum expectaret, interim vero apud Eurialum esset. Post biduum statutus erat terminus: at hi dies tanquam anni visi sunt amantibus longi, ut bene sperantibus horæ productæ, male timentibus correptæ. Sed non arrisit amantium desideriis fortuna: præsensit namque insidias mater, ac ut dies venit, egressa domo, privignum exclusit, qui mox Eurialo triste nuncium tulit, cui non minus quam Lucretiæ fuit molestum, quæ postquam detectos agnovit dolos: hac non successit, inquit, alia aggrediamur via: nec potens erit mater meis obsistere voluptatibus.

Pandalus viro affinis erat, quem jam Lucretia fecerat arcanorum conscium, nec enim poterat ignitus animus quiescere: significat igitur Eurialo, hunc ut alloquatur, quia fidus sit, & conveniendi viam possit monstrare: at Eurialo non videbatur tutum illi se credere, quem Menelao semper hærentem intuebatur, & subesse fallaciam verebatur. Inter deliberandum autem jussus est EurialusRo-

mam petere, atque cum Pontifice maximo de coronatione transigere; quæ quæ tum sibi, tum amicæ molestissima fuit, sed oportebat Cæsaris imperium ferre. Itur ergo: mora duorum mensium fit; Lucretiam interim domi manere, fenestras claudere, mœstas induere vestes, nunquam exire. Mirari omnes: nec caussam noscere. Tanquam Sol defecisset, cuncti se putabant in tenebris agere domestici, qui eam sæpe incubantem lectulo, & nunquam lætam videbant, ægritudini imputabant, & quicquid remediorum afferre poterant, perquirebant: sed nunquam illa vel risit, vel thalamos exire voluit, nisi postquam redire Eurialum, & illi Cæsarem obviam esse cognovit: tunc quasi ægra somno excitata, lugubri veste posita, & ornamentis redimita pr oribus fenestras aperuit, lætabundaque illum expectavit; quam ut Cæsar vidit, non nega amplius, inquit, Euriale; detecta res est: nemo Lucretiam te absente videre potuit, nunc quia ridisti, auroram cernimus: quis modus assit amori? tegi nunc non potest amor, nec abscondi tussis. Iocaris mecum, ut soles, Cæsar, & me in risum ducis, Eurialus ait. Ego quid hoc sit, non scio: hinnitus equorum tuorum & prolixæ barbæ stre-

ſtrepitus tuæ illam forſitan excitavit: atque ſic affatus Lucretiam furtim aſpexit, & oculos conjecit in oculos. Eaque poſt reditum prima conſultatio fuit.

Paucis deinde interjectis diebus; Niſus, Euriali fidus ſervus comes, dum anxius amicæ cauſæ favet, tabernam ſpeculatus eſt, quæ poſt Menelai domum ſita, in Lucretiæ cameram retruſum habebat intuitum; Cauponem igitur ſibi conciliat, ſpectatoque loco Eurialum adducit, & hac, inquit, ex feneſtra alloqui Lucretiam poteris. Media inter utramque domum cloaca fuit, nec homini, nec Soli acceſſa, triumque ulnarum diſtantia feneſtram Lucretiæ diſterminans. Hic diu conſedit amator, expectans ſi quis caſus Lucretiam oſtenderet; nec deceptus eſt. Affuit tandem Lucretia, cum huc atque illuc reſpiceret: Quid agis, ait Eurialus, vitæ rectrix meæ? quo tendis lumina, cor meum? Huc, huc, dirige oculos, præſidium meum: tuus hic Eurialus eſt: me, me adſum, me reſpice. Tu ne hic ades, inquit Lucretia, ô mi Euriale? jam te alloqui poſſum, utinam & amplecti valerem. At iſtuc ait Eurialus, non magno conatu faciam, ſcalam huc admovebo: tu obſera thalamum, amoris noſtri gaudia nimium diſtulimus. Cave, mi

mi Euriale, si me vis salvam: fenestra hic ad dexteram, vicinusq; pessimus, nec cauponi credendum est, qui parva pecunia, & te, & me perderet: sed alia incedamus via: satis est, si huic sermoni nostro patet accessus, respondit Lucretia. At mihi, Eurialus inquit, mors est hæc visio, ni te simul amplector, meisque brachiis teneo mediam. Diu ex hoc loco tractus est sermo, missaque huic per arundinem sunt munera: nec Eurialus in donis quam Lucretia liberalior fuit. Sensit dolos Sosias, secumq; frustra, inquit, amantum conatibus obsto, nisi astu provideo, & hera peribit, & dominus infamiam subibit: Ex his malis satius est unum avertere; amet hera nihil nocebit, si clam fit, ipsa præ amore cæca est, nec quid agat, prospicit. Si non potest custodiri pudicitia, satis est rumorem tollere, ne domus infamis fiat, neve parricidium committatur: abibo igitur, & opera præbebo meam: restiti quoad potui, ne committeretur nefas, id quia non licuit, meum est curare, ut quod pejus agitur, occultum sit. Parum enim refert non agere, & sic agere, ut nemo sciat: commune bonum libido est, nec homo est, quem pestis hæc non ageret: & ille castior habetur, qui cautius agit. Dum sic fatur, Lucretiam egressam thalamo videt, aggres-

aggressusque fœminam, quidnam est, inquit, quod nihil amoris mihi cōmunicas? Eurialus tibi nihilominus dilectus est & me clam amas; vide, cui des fidē: Primus sapientiæ gradus est non amare; secundus, ut sic ames, ne palam fiat. Sola hoc sine internuncio facere non potes, quanta mihi apud te sit fides, longo jam tempore didicisti: si quid mihi committere vis, jube, mihi maxima cura est, ne amor iste detegatur, & tu pœnam luas, & vir omnium oblocutiones ferat. Ad hæc Lucretia: sic est, ut ais Sosia, inquit, & tibi magnam habeo fidem: sed tu visus es, nescio quomodo negligens & meis adversus desideriis; nunc quia sponte te offers, utar obsequiis tuis, nec abs te decipi timeo, Tu scis quantum ardeo, diu ferre non possum hanc flammam: juva me, ut simul esse possimus; Eurialus amore languet, & ego morior: nil pejus est, quam obstare cupidini nostræ. Si semel invicem convenerimus, temperantius amabimus, & tectus erit amor noster. Vade igitur, Eurialoque viam unicam me accedendi dicito, si abhinc quatriduo, dum rustici frumentum afferunt, vectoris personam induat, opertusque sacco triticum per scalas in horreum ferat; tute scis thalamum meum ad

ad ſcalas habere oſtium primum; atque omnia Eurialo dicito;hic diem manebo, & dum erit tempus, ſola in cubili ero; ipſe oſtium impellat, dum ſolus ſit, ad me ingrediatur. Soſias quamvis arduum facinus eſſet, majora veritus mala, provinciam ſuſcepit, Eurialoque invento cuncta ex ordine nunciat, quæ ille judicans levia, libenter amplectitur, ſeq; paratis accingit: nec aliud queritur, quam nimiam moram. O inſenſatum pectus amantis! ô mentem cæcam! ô animum audacem, corque intrepidum: quid eſt tam magnum, quod tibi non parvum videatur? Quid tam arduum, quod planum non æſtimes? Quid tam clauſum, quod tibi non ſit apertum? Tu omne diſcrimen parvifacis: tu nihil difficile cenſes. Inanis eſt apud te omnis cuſtodia maritorum: nullæ te leges tenent: nulli metus: nulli pudori obnoxius es: omnis labor tibi eſt ludus: tibi nil obſtat uſquam. O rerum amor domitor omnium: Tu virum primatem, Cæſari acceptiſſimum, divitiis affluentem, ætate maturum, imbutum literis, prudentia clarum, eo perducis, ut poſita purpura ſaccum induat, vultum fuco tegat,ſervus ex domino fiat,& qui nutritus in delitiis fuerat, jam humeros geſtandis oneribus

ribus aptet, ſeque publicum bajulum mercede locet. O rem mirandam, peneque incredibilem: virum aliquando in conſilio graviſſimum, inter catervas vectorum cernere, & in beſtiam fere mutatum agnoſcere. Quis transformationem quærat majorem? Hoc eſt, quod Ovidius metamorphoſi ſua vult, dum fieri ex hominibus aut beſtias ſcribit, aut lapides, aut plantas. Hoc & Poëtarum eximius Maro ſenſit, dum Circes amatores in terga ferarum verti cantabat. Nam iſta eſt: ex amoris flamma ſic mens alienatur, ut parum à beſtiis differat.

Linquens croceum Tithoni aurora cubile, jam diem referebat optatum, moxque ſuum rebus colorem Apollo reddens, expectantem recreat Eurialum, qui tunc ſe fortunatum beatumque cenſuit, cum admixtum ſe vilibus ſervis nulli noſcendum, vidit: pergit igitur, ingreſſuſque Lucretiæ domum, frumento ſe oneravit, poſitoque in horreum tritico, ultimus deſcendentium fuit, atque ut erat perdoctus, oſtium maritalis thalami, quod in medio ſcalarum clauſum videbatur, impellit, ſeque intro recepit, & recluſis foribus, ſolam Lucretiam ſerico intentam videt: atque accedens propius, ſalve mi anime, inquit, ſalve unicum vi-

tæ præsidium, spesque meæ: nunc te solam offendi, nunc quæ semper optavi, semotis arbitris te amplector: nullus jam paries, nulla distantia meis obstabit oculis. Lucretia quamvis ordinem ipsa dedisset, primo congressu stupuit, nec Eurialum, sed spiritum se videre putabat, ut quæ virum tantum ad ea pericula iturum sibi non persuadebat. At ubi inter amplexus & oscula suum cognovit Eurialum; Tune es, inquit, paupercule? tune hic ades Euriale? & rubore per genas suso, complexa hominem est arctius: & media fronte dissuaviata, moxque repetens sermonem; heu quanto te, ait, discrimini subjecisti: quid amplius dicatur? Iam me tibi charissimam scio: Iam tui amoris feci periculum; sed neque tu me aliam invenies: Dii tantum fata secundent,& amori nostro prosperum ventum dent; dum spiritus hos reget artus, præter te nemo Lucretiæ potens erit, nec maritus quidem, si rite maritum appello, qui mihi invitæ datus est, & in quem nunquam animus consensit meus.Sed age mea voluptas, meum delitium, abjicito saccum hunc, teque mihi, ut es, ostende; Exue vectoris speciem: hos funes missos face: Eurialum me videre facito. Jam ille depositis sordibus, ostro fulgebat

bat & auro, & amoris in officium pronus ibat. Tum Sosias ante ostium pulsitans; Cavete, inquit, amantes, nescio quid rerum quærens, Menelaus huc festinat: tegite furta vestra, dolisque virum fallite. Tum Lucretia latibulum, inquit, parvum sub strato est, illic preciosæ res sunt; scis tibi quid scripserim, si te mecum existente vir adventaret; ingredere huc, tutus his tenebris es: neque te moveris, neque screatum dederis. Anceps quid agat Eurialus, mulieris imperium subit; illa foribus patefactis ad sericum redit. Tum Menelaus & una Betus assunt, chirographa nonnulla ad rempublicam pertinentia quæsituri, quæ postquam nullis inventa sunt scriniis, in latibulo nostro, inquit Menelaus, forsitan erunt; Lucretia lumen affer huc, intus quærendum est. His exterritus Eurialus verbis exanguis fit; Iamque odisse Lucretiam incipit, atque intra se, heu me fatuum, inquit, quis me huc venire compulit, nisi levitas mea? Nunc deprehensus sum: nunc infamis fio: nunc Cæsaris gratiam perdo; quid gratiam? Vtinam mihi vita supersit. Quis me hinc vivum eripiet? Emori certum est. O me vanum & stultorum omnium stultissimum, in hanc sententiam volens cecidi: quid hæc amoris gaudia si tanti emun-

emuntur? Brevis illa voluptas est doloris longissimi. O si nos hæc pro regno cœlorum subiremus. Mira est hominum inscitia, labores breves nolumus pro longissimis tolerare gaudiis: amoris causa, cujus lætitia fumo comparari potest, infinitis nos oblectamus angustiis: Ecce meipsum jam ego exemplum: jam fabula omnium ero: nec quis exitus pateat, scio. Hinc si me deorum traxerit auxilium, nusquam me rursus amor illaqueabit. O Deus eripe me hinc: parce juventuti meæ: noli meas metiri ignorantias; reserva me, ut horum delictorum pœnitentiam agam: non me amavit Lucretia, sed quasi cervum in casses voluit conjicere. Ecce venit dies meus: nemo me adjuvare potest, nisi tu Deus meus. Audieram ego sæpe mulierum fallacias, nec declinare scivi: at si nunc evasero, nulla me unquam mulieris techna deludet.

Sed nec Lucretia minoribus urgebatur molestiis, quæ non solum suæ, sed amantis quoque saluti timebat. At ut est in periculis subitaneis mulierum quam virorum promptius ingenium, excogitato remedio: Age, inquit, vir, Cistella illic super fenestra est, ubi te memini monimenta nonnulla recondisse; videamus, an illic chirographa sint reclusa: subitoque

que decurrens, tanquam vellet aperire cistellam, latenter illam deorsum depulit, & quasi casu cecidisset; Proh mi vir ait, adesto, ne quid damni sentiamus, cistella ex fenestra cecidit, perge ocyus, ne jocalia vel scripturæ dispereant: Ite, ite ambo, quid statis; ego hic, ne quis furtum faciat, oculis observabo.

Vide audaciam mulieris: nunc & fœminis credito: nemo tam oculatus est, ut falli non possit. Is duntaxat non fuit illusus, quem conjunx fallere non tentavit. Plus fortuna quam ingenio sumus fœlices. Motus hoc facto Menelaus Bertusque una repente in viculum se præcipitant: domus Hetrusco more altior fuit, multique gradus descendendi erant; hinc datum est Eurialo spatium mutandi locum, qui ex monitu Lucretiæ in novas latebras se recepit; qui collectis jocalibus atque scripturis, quia chirographa, quibus opus erant, non repererant, ad scrinia juxta quæ latuerat Eurialus, transeunt: ibique voti compotes facti, consalutata Lucretia recesserunt. Illa obducto foribus pessulo, exi, mi Euriale, exi, mi anime, inquit: veni gaudiorum summa meorum: veni foras delectationum mearum scaturigo: lætitiæ favum mellis: veni dulcedo incomparabilis mea: jam

jam tuta sunt omnia : jam nostris sermonibus libere campus patet : jam locus est amplexibus tutus. Adversari oculis nostris fortuna voluit, sed aspiciunt Dii nostrum amorem, nec tam fidos amantes deserere voluerunt. Veni jam meas in ulnas, nihil est quod amplius vereare, meum lilium, rosatumque cumulas: quid stas ? quid times ? tua hic sum Lucretia : quid cunctaris Lucretiam amplexari? Eurialus vix tandem formidine posita, sese recepit, complexusque mulierem ; nunquam me, inquit, tantus invasit timor : sed digna tu es, cujus causa tanta gerantur, nec isthæc oscula & tam dulces amplexus obvenire cuipiam gratis debent: nec ego, ut verum fatear, satis emi tantum bonum ; si post mortem rursus vivere possem, teque perfrui, emori millies vellem, si hoc pretio tui possent amplexus coëmi. O mea felicitas ! ô mea beatitudo ! visum video, an ita est? teneo te, an somnis illudor vanis ? tu certe hic es, ego te habeo. Erat Lucretia leni vestita palla ; quæ membris absque ruga hærebat, nec vel pectus vel clunes mentiebatur ; ut erant arctus, sic se ostentabant : gulæ candor nivalis ; oculorum lumen tanquam Solis jubar : intuitus lætus, facies alacris, genæ sicuti lilia purpureis admixta

mixta rosis: risus in ore suavis atque modestus, pectus amplum, papillæ quasi duo punica poma ex utroque latere tumescebant : pruritumque palpitantes movebant. Non potuit Eurialus ultra stimulum cohibere, sed oblitus timoris, modestiam quoque abs sese repulit, aggressusque fœminam, jam inquit, fructum sumamus amoris, remque verbis jungebat: obstabat mulier, curamque sibi honestatis & famæ fore dicebat, nec aliud ejus amorem quam verba & oscula poscere. Ad quæ subridens Eurialus ; Aut scitum est, inquit, me huc venisse, aut nescitum ; si scitum, nemo est, qui cætera non suspicetur, & stultum est infamiam sine re subire : si nescitum, & hoc quoque sciet nullus : hoc pignus amoris est ; emoriar, priusquam caream. Ah scelus est, inquit Lucretia. Scelus est, inquit Eurialus, bonis non uti cum possis: an ego occasionem mihi concessam, tam quæsitam, tam optatam amitterem ? acceptaque mulieris veste, pugnantem fœminam quæ vincere nolebat, absque negocio vicit : nec Veneris hæc satietatem, ut Ammoni, cognita Thamar peperit ; sed majorem sitim excitavit amoris : memor tamen discriminis Eurialus, postquam vini cibique paululum hausit, repu-

gnante Lucretia recessit. Nec sinistre quispiam suspicatus est, nisi quod unus ex bajulis putabatur.

Admirabatur seipsum Eurialus, dum viam pergeret, secumque, ô si nunc, inquit, obvium mihi se daret Cæsar, meque agnosceret, quam illi habitus hic suspitionem faceret, quam me rideret, fabula omnibus essem, & illi jocus; nunquam me missum faceret, donec sciret, quid sibi hæc rustica vestis vellet: sed fingerem, non hanc, sed aliam me dicerem adisse matronam, nam & ipse hanc amat, nec ex usu est meum ei amorem patere: Lucretiam proderem, quæ me suscepit servavitque? Dum sic loquitur, fidum Achaten & Palinurum cernit, eosque præit, nec prius ab his cognitus est, quam domi fuit; ubi positis saccis pretexta sumpta rerum pandit eventum: dum quis timor & quod gaudium intercessit, memoriter ipsis narrat, nunc timenti similis, nunc exultanti fit. Inter veniendum autem, heu me stultum inquit, fœminæ commisi caput; non sic me pater admonuit, dum me nullius fœminæ fidem sequi debere dicebat: Ille fœminam animal dicebat esse indomitum, infidum, mutabile, crudele, mille passionibus deditum: Ego paternæ immemor disciplinæ,

næ, vitam meam mulierculæ tradidi. Quid si me frumento oneratum aliquis cognovisset, quod dedecus, quænam infamia mihi & meis posteris evenisset? Alienum me Cæsar fecisset, tanquam levem & insanum. Potuisset hæc contemnere; quid autem si me vir, dum scrinia versabat, latentem invenisset? Sæva est lex Iulia mœchis; exigit tamen dolor mariti majores pœnas, quam lex ulla concesserit: necat hæc ferro; necat ille cruentis verberibus, quosdam mœchos & pœnas sumit. Sed putemus, virum pepercisse vitæ meæ; annon me in vincula conjecisset? aut infamem Cæsari tradidisset? Dicamus, & illius me manus effugere, quia inermis erat, mihique fidus ensis hærebat lateri: at viro comitatus erat, & arma ex pariete pendebant captu facilia: in domo longus famulorum ordo: clamores mox invaluissent, & ostia fuissent clausa; tum de me supplicium sumptum fuisset. Heu me dementem: nulla me prudentia liberavit hoc discrimine, sed casus tantum. Quid casus? imo & promptum ingenium Lucretiæ. O fidam fœminam! ô amatricem prudentem! ô insignem & nobilissimum amorem. Cur me tibi non credam? cur tuam non sequar fidem? Mille mihi si assint cervi-

ces, omnes tibi committam: tu fidelis es: tu cauta: tu prudens scis amare, & amantem tueri. Quis tam cito excogitare potuisset viam, quæ me quærentes averteret, ut tu ipsa excogitasti? Tu mihi hanc vitam servasti, eandem tibi devoveo: non meum est, sed tuum quod spiro, non erit mihi durum perdere propter te, quod per te teneo, tu vitæ meæ jus habes, tu necis imperium. O candidum pectus! ô dulcem linguam! ô suaves oculos! ô ingenium velox! ô membra marmorea, succique plena: quando ego vos revisam? quando iterum corallina labia mordebo? quando tremulam linguam ori meo murmurantem denuo sentiam? Papillasne unquam illas retractabo? Parum est Achates, quod in muliere vidisti hac, quo propior est fœmina, eo formosior est: utinam mecum una fuisses: non tam Tantali regis Lydiæ formosa uxor fuit, quam ista est. Non miror, illum voluisse nudam conjugem socio demonstrare, ut plenius sumeret gaudium: Ego quoque itidem facerem, si facultas esset Lucretiam tibi nudam ostenderem. Aliter autem nec tibi effari, quanta sit ejus pulchritudo possum, nec tu quam solidum, quamque plenum meum fuerit gaudium, potes considerare: sed congaude mihi, quia

major fuit mea voluptas, quam verbis queat exponi. Si Eurialus cum Achate. Nec pauciora secum Lucretia dicebat: Ejus tamen minor lætitia fuit, quo taciturnior aliis fidem non habuit, ut rem posset referre, Sosiæ non audebat per verecundiam totum narrare.

Baccarus interea Pannonius Eques domo nobilis, qui Cæsarem sequebatur, ardere Lucretiam cœpit: & quia formosus erat, redamari putabat, solamque fœminæ pudicitiam obstare rebatur. Illa, sicut mos est nostris dominabus, omnes vultu blando intuebatur: ars est, sive deceptio potius, ne verus amor palam fiat. Insanit Baccarus, nec erigi consilio potest, nisi Lucretiæ mentem præsentiat.

Solent matronæ Senenses ad primum lapidem sacellum divæ Mariæ, quod in Bethlehem nuncupant, sæpius visitare, huc Lucretia duabus comitata virginibus, & anu quadam, proficiscebatur, sequitur Baccarus, violam in manu gestans deauratis foliis, in cujus collo epistolam amatoriam, subtilibus inscriptam membranis, absconderat: ne mirere: tradidit enim Cicero illam Iliada omnem ita subtiliter scriptam, sibi ostensam fuisse, ut testa nucis clauderetur; offert violam Lucretiæ; instat Pannonius magnis precibus

tum anus, recipe, inquit, hera donatum florem, quid times, ubi nullum eſt periculum? Parva res eſt, qua potes hunc militem placare: ſecuta eſt Lucretia anilem ſuaſionem, violamque ſuſcepit, parumque ultra progreſſa, violam alteri ex virginibus tradidit: nec diu poſt obviam facti ſunt duo Studentes, qui virgunculam, ut ſibi florem traderet, non magno negotio induxerunt, apertoque violæ ſtipite carmen amatorium invenerunt. Solebat hoc hominum genus pergratum eſſe noſtris matronis: ſed poſtquam Cæſaris curia Senas venit, irrideri, deſpici, & haberi odio cœpit, quia armorum ſtrepitus magis quam literarum lepor noſtras fœminas delectabat: his grandis livor & ſimultas ingens erat, quærebantque technæ vias omnes, quibus nocerent ſagis. Vt ergo violæ dolus patuit, ad Menelaum mox itur, epiſtolamque ut legat, rogatur: ille mœſtus domum pergit, uxorem increpat, domumque clamoribus implet: negat ſe ream uxor, remque geſtam exponit, & anus adducit teſtimonium: Itur ad Cæſarem, fit querela: vocatur Baccarus: Is crimen fatetur, petenſque veniam, nunquam ſe poſt Lucretiam vexaturum jurejurando confirmat. Sciens tamen Iovem non iraſci, ſed arridere perjuriis

juriis amantium, sterilem flammam ut magis prohibitus erat, eo diligentius sequebatur.

Venit hyems, exclusisque Notis solum boream admittebat; cadunt ex cœlo nives: solvitur in ludum civitas; jactant matronæ in vicos, juvenes in fenestras nivem: hinc nactus occasionem Baccarus, epistolam alteram ceræ includit, ceram nive cingit, factaque pila in fenestram Lucretiæ jacit. Quis non omnia regi fortuna dicat? quis non favorabilem ejus cupiat flatum fati? Plus enim valet hora benigni, quam si te Veneris commendet epistola, mariti. Dicunt quidam nil esse, quod in sapiente queat fortuna: hoc ego his sapientibus concedo, qui sola virtute gaudent, qui & pauperes, & ægroti, & in equo Phalaris inclusi, vitam se credunt possidere beatam, qualem nullum adhuc vidi, vel fuisse putarim: communis hominum vita favoris fortunæ indiget: hæc quos vult elevat, & quos vult deprimit. Quis Baccarum perdit nisi fortuna? nunquid prudentis consilii fuit in nodis viola clausisse tabellas, & nunc beneficio nivis epistolam transmisisse. Dicet aliquis fieri cautius potuisse: quod si hoc consilium fortuna juvisset, & cautus hic & prudentissimus judicatus fuis-

ſet. Sed obſtans fatum, pilam ex Lucretiæ manibus lapſam ad ignem deduxit, ubi ſolutis calore nivibus, liquefactaque cera, tabellas manifeſtavit, quas tum vetulæ, quæ ſe calefaciebant, tum Menelaus qui aderat, perlegerunt, novaſque lites excitarunt: quas Baccarus non excuſatione, ſed fuga vitavit. Hic amor ex uſu venit Eurialo, nam dum vir greſſus & actus Baccari ſpeculatur, inſidiis Euriali locum facit: verum eſt quod dici ſolet: Non facile cuſtodiri, quod à pluribus amatur vel impugnatur. Spectabant amantes poſt primum concubitum, ſecundas nuptias.

Viculus erat inter ædes Lucretiæ atque vicini arctus, per quem pedibus in utrumque parietem porrectis, in feneſtram Lucretiæ haud difficilis præbebatur aſcenſus: ſed huc aſcendere ſolum noctu licebat. Menelao petendum rus erat, ibique pernoctandum, qui dies ab amantibus, tanquam Saturnaliorum expectabatur. Fit receſſus: mutatis Eurialus veſtibus, in viculum ſe recipit, ſtabulum illic Menelaus habebat, quod Eurialus docente Soſia, ingreſſus eſt, ibique noctem manens, ſub fœno latebat: tum ecce Dromo, qui erat Menelai ſecundus famulus equis præpoſitus, impleturus præ-

præſepia fænum ex Euriali latere ſuſcipit, eratque amplius ſuſcepturus, ac Eurialum furca percuſſurus, ni Soſias obveniſſet; qui ut diſcrimen agnovit, da mihi hanc operam, inquit, frater bone, ego hinc pabulum equis præbebo, tu interea loci vide, an nobis cœna inſtructa ſit: gaudendum eſt, dum herus abeſt: melius eſt nobis cum domina, quam cum illo; hæc jucunda eſt, & perliberalis: ille iracundus, clamoſus; avarus, difficilis: nunquam nobis bene eſt, dum ille adeſt? videſne, ut ventres noſtros iniquo caſtigat modio? qui ſemper eſurit, ut nos fame cruciet, nec ſuſtinet mucida fruſta cærulei panis conſumi, ſed heſternum minutal ſervat in menſem, uniuſque cœnæ ſiluros & anguillas ſalſas, in alteram deferr, & numerata fila ſectivi porri, ne quid tangamus ſignata recludit. Miſer, qui per hæc tormenta quærit divitias: nam quid ſtultius, quam vivere pauperem, ut locuples moriaris? Quanto melius hera, quæ non contenta vitulis nos paſcere, & teneris hœdis, gallinas quoque turdoſque miniſtrat, & vini copiam melioris. I Dromo, cura ut quam uncta popina ſit. Iſtud, inquit Dromo, curæ habebo, & menſam potius, quam equos fricabo: herum ego hodie in rus deduxi, quod ei male ſuccedat:

dat: nunquam mihi verbum dixit, nisi vesperi, cum me remisit ad equos, renunciarique dominæ jussit, non se rediturum hac nocte. Laudo te Sosia, qui tandem odisse cœpisti domini mores, ego jam diu mutassem dominum, nisi me domina matutinis offellis retinuisset. O velles, nihil dormiendum foret hac nocte: bibamus; voremusque, donec veniat dies: non tantum per mensem lucrabitur herus, quantum nos una cœna sumemus. Audiebat hoc Eurialus libens, tametsi mores servorum notabat, & idem sibi fieri non dubitabat, cum domo abesset, utque Dromo recessit, assurgens Eurialus: O quam, inquit, beatam noctem Sosia tuo beneficio sum habiturus, qui me huc duxisti, & ne patefierem, probe curasti: vir bonus es, meritoque te amo, nec tibi non gratus inveniar, rependam enim hoc beneficium.

Aderat hora præscripta & destinata, lætus Eurialus, quamvis duobus persunctus discriminibus non levibus, murum ascendit, & aperta fenestra Lucretiam, juxta foculum sedentem, paratisque obsoniis expectantem, reperit: illa ut amantem agnovit, assurgens medium complexa est: fiunt blanditiæ: dantur oscula: itur in venerem, tensis velis: ses-

fessamque navigio Cithaream, nunc Ceres refecit, nunc Bacchus. Heu, quam breves voluptates sunt, quam longæ solicitudines: vix horam Eurialus lætam habuerat, tum ecce Sosias, qui reditum Meneali renunciat, gaudiumque perturbat. Timet Eurialus: fugere studet: Lucretia mensis absconditis obviam viro pergit reversumque salutat; Et, ô mi vir, inquit, quam bene redisti, nam ego jam te villicam rusticatum rebar: quid tu tamen rure tamdiu egisti? cave, ne quid olfaciam: Cur non domi manes? quid me contristari absentia studes? semper dum abes, timeo tibi; tum ne quam adeas vereor, ut sunt invidi uxoribus suis viri; quo metu si vis me solvere, nunquam extra dormias: nec enim sine te nox est mihi ulla jocunda: Sed cæna hic jam post cubitum ibimus. Erant tunc in aula, ubi familia prandere solet, ibique virum detinere Lucretia nitebatur, donec Eurialus abeundi spatium suscepisset, cui necessaria erat morula quædam: Menelaus autem foris cænatus erat, seque in thalamum recipere festinabat: tum Lucretia, parum me amas, cur non potius domi apud me cænasti? Ego quia tu aberas, non comedi hodie, nec bibi quicquam. Venerunt tum villici ex ro-

salia,

ſalia, neſcio quid vini portantes, optimum eſſe ferebant Trebeanum, ego præ mœſtitia nihil guſtavi: nunc quoniam ades, eamus, ſi placet, in cellam introrſum guſtemuſque vinum, ſi ut illi dixerunt, tam ſuave ſit. Hiſque dictis, lucernam dextra, virum ſiniſtra manu recipit, & in intimum penu deſcendit: tamdiu nunc hunc, nunc illum cadum terebravit, ac cum viro pitiſſavit, donec Eurialum putabat abeſſe, ac ita demum ad ingratos hymenæos cum viro tranſivit: Eurialus intempeſta nocte domum repetiit. Sequenti luce, ſive quod ſic expediebat cavere, ſive ſuſpitio mala fuit, muro feneſtram Menelaus obſtruxit. Credo ut ſunt cives noſtri in conjecturas acuti, ſuſpitionumque pleni, timuiſſe Menelaum loci commoditatem, utque parum fidebat uxori, occaſionem demere voluiſſe. Nam etſi nihil conſcius erat ſibi, vexatam tamen fœminam, multiſque dietim tentatam precibus non ignorabat; & animum cognoſcebat mulieris inſtabilem, cujus tot ſunt voluntates, quot ſunt in arboribus frondes. Sexus enim fœmineus novitatis eſt avidus, raroque virum amat, cujus copiam habet. Sequebatur ergo viam maritorum promulgatam, quorum opinio eſt infor-
tunium

tunium bonis excludi custodiis. Erepta est hinc conveniendi facultas, nec mittendis literis permissa libertas est: nam & cauponem, qui post ædes Lucretiæ vinariam tabernam conduxerat, ex qua solebat Eurialus affari Lucretiam, ac literas per arundinem mittere, sicuti Menelaus suasit, magistratus expulit. Restabat solus oculorum intuitus, nutuque tantum se consultabant amantes, neque isthac amoris extrema linea commode perfrui poterant. Erat ingens dolor utrique, cruciatusque morti similis: quia nec amoris poterant oblivisci, nec in eo perseverare.

Dum sic anxius Eurialus, quid consilii capiat, meditatur, venit in mentem Lucretiæ monitum, quod sibi de Pandalo scripserat, Menelai consobrino, peritosque medicos imitatus, quibus mos est in periculosis ægritudinibus anceps adhibere medicamentum, & ultima potius experiri, quam sine cura morbum relinquere, aggredi Pandalum statuit, remediumque suscipere, quod antea recusarat. Huic igitur accersito, & in penitiorem domus partem vocato; fide, inquit, amice, rem grandem tibi dicturus sum: indigens sum his, quas in te scio sitas, diligentia, fide, & taciturni-

tate;

tate; volui jam dudum hæc tibi dixisse, sed non eras mihi adhuc plene cognitus; nunc & te nosco, & quia probitate fidei es, amo & observo; quod si aliter te nescirem, satis est, quia omnes tui cives te laudant; tamen comites mei, quibuscum amicitiam conflasti, & qui sis, & quanti pendendus, me certum fecere: ex quibus te cupere meam benevolentiam didici, cujus te jam facio participem, quia non minus illa es dignus, quam ego sum tua. Nunc quid velim, quoniam inter amicos res agitur, paucis exponam. Tuscis mortale genus, quam in amorem sit pronum; seu virtutis id est, seu vitii, late patet ista calamitas: nec cor est, si modo carneum est, quod hos aliquando non sentiat stimulos. Scis quod nec sanctissimum David, nec sapientissimum Salomonem: nec Samsonem fortissimum ista passio dimisit immunem. Incensi præterea pectoris & amoris imbibiti ea natura est, ut si quis prohibeat, magis ardeat: nulla re magis curatur ista pestis, quam dilecti copia; fuerunt plures tum viri, tum mulieres, tam nostra quam majorum nostrorum memoria; quibus inhibitio durissimæ necis fuit occasio: contra vero plerosque novimus, qui post concubitum

tum

tum & amplexus passim concessos, mox furere desierunt. Nihil consultius est, postquam amor ossibus hæsit, furori cedere. Nam qui adversus tempestatem nititur, sæpe naufragium facit, & qui obtemperat procellæ, superat: hæc ideo dixi, quia te amorem meum scire volo, & quid mei causa sis facturus. Tamen quod emolumentum hinc sit oriturum, nihil tibi tacebo, quia jam mei cordis alteram te reputo partem. Ego Lucretiam diligo, neque hoc, mi Pandale, mea culpa est factum, sed regente fortuna, in cujus manu est totus, quem colimus orbis: mihi non erant noti mores vestri, nec hujus urbis consuetudines noram. Putabam ego fœminas vestras, quod oculis monstrant, in corde sentire: sed inescant homines vestræ matronæ, & non amant; hinc deceptus sum: Credidi namque amatum me Lucretiæ fore, dum me luminibus intuebatur placidis, cœpique contra diligere, nec tam elegantem dominam dignam putavi, cui vices non redderentur amoris: nondum te noram, vel tuum genus: Amavi putans amari: quis enim tam saxeus est aut ferreus, qui non amet amatus.

Sed postquam fraudes novi, meque dolis irretitum, ne meus sterilis esset amor,

mor, nisus sum omnibus artibus illam incedere, ut par pari referretur: ardere namque,nihilque urere, tum rubor,erat, tum anxietas animi, quæ me die noctæque mirum iu modum cruciabat: & eram adeo implicatus, ut egredi nullo pacto valerem. Factum est igitur, ut me continuante, par sit amor amborum. Illa incensa est: ego ardeo: ambo perimus, nec remedium protelandæ vitæ nostræ videmus, nisi tu sis adjumento. Vir eam custodit & frater. Non tam vellus aureum pervigil draco servabat: nec aditum orci Cerberus, quam illam diligenter recludit. Novi ego familiam vestram: scio quod nobilis estis inter primores urbis, divites, potentes, amati: utinam nunquam novissem hanc fœminam. Sed quis est, qui possit resistere satis? Non elegi hanc, sed casus dedit amandam. Sic se res habet. Tectus adhuc amor est, sed nisi bene regatur, magnum aliquod, superi avertant, malum pariet. Possem forsitan me compescere, si hinc abirem, quod quanquam esset mihi gravissimum, facerem tamen vestræ familiæ gratia, si hoc putarem ex usu fore: Sed nosco illius furorem: aut me sequeretur, aut manere coacta, manus sibi consisceret, quod esset dedecus per-

perpetuum vestræ domus. Quod igitur te volebam, teque vocavi, nostri causa est, ut obviemus his malis: neque alia via est, nisi ut amoris nostri aurigam te præbeas, curesque ut bene dissimulatus ignis, non fiat apertus: ego me tibi commendo, do, devoveo: obsequere furori, ne dum oppugnatur, magis incendatur: Cura ut simul convenire possimus: quo facto mox decrescet ardor, tolerabiliorq; reddetur. Tu scis aditus domus: scis quando vir abest: scis quomodo me valeas introducere. Frater viri advertendus est, qui est ad has res nimium perspicax, Lucretiamque, tanquam locum germani teneat, magna cura custodit, universaque Lucretiæ verba, aversas cervices, gemitus, screatus, tussim, risus, attente considerat: hunc eludere sententia est, nec sine te fieri potest. Adsis ergo, & quando absfuturus sit vir, me instrue, remanentemque fratrem diverte, ne custos affixus Lucretiæ sit, neve custodes adhibeat alios; tibi credet, & quod Dii faxint, hanc fortasse provisionem tibi cõmittet, quam si susceperis, & me juveris (ut spero) in vado res est. Poteris enim me clam, dum cæteri dormient, intromittere, & amorem lenire furentem. Ex his, quot emergant utilitates, arbitror te pro tua pru-
dentia

dentia palam cernere: servabis namque in primis honorem domus: amorem teges, qui non posset absque vestra infamia manifestari: Sobrinam tuam in vita tenebis: Menelao uxorem custodies: cui non tam obest una nox mihi concessa nesciis omnibus, quam si sciente populo illam perdiderit me sequentem. Nupta senatori Romano secuta est Hippia Libdum, ad Pharon & Nilum famosaque mœnia Lagi. Quid si me domi nobilem atque potentem, Lucretia sequi statuat, quod dedecus vestri generis? quis populi risus? quæ non dico vestra, sed totius civitatis infamia? Diceret forsitan aliquis, absumenda potius ferro, aut extinguenda venenis est mulier, quam id agat: Sed væ illi, qui se humano sanguine polluit, & majori scelere vindicat minus. Non augenda sunt mala, sed minuenda. Nos hoc scimus, ex duobus bonis melius eligendum; aut ex malo & bono, quod sit bonum: sed ex malis duobus, quod minus obsit. Omnis via periculi plena est, sed hæc, quam monstro, minus habet discriminis, per quam non solum tuo sanguini consules, sed mihi etiam proderis, qui pene insanio, dum mei causa Lucretiam video cruciari, cui potius esse odio vellem, quam te rogare. Sed hic sumus; eo

eo deducta res est, ut nisi tuis artibus, tua cura, ingenio atque solicitudine navis regatur, nulla salutis spes maneat. Iuva igitur & illam, & me, tuamque domum absque nota conserva. Nec me putes ingratum: scis apud Cæsarem quanti sim: quicquid petieris, impetratum tibi efficiam: Et hoc tibi ante omnia polliceor, doque fidem, Palatinum Comitem te futurum, omnemque tuam posteritatem hoc titulo gavisuram. Ego tibi Lucretiam, meque, & nostrum amorem, & famam nostram, & tui generis decus committo, tuæque mando fidei: tu arbiter es, omnia hæc in te sita sunt: vide quid agas: & servare potes ista, & perdere.

Subrisit his auditis Pandalus, factaque morula: Noram hæc Euriale, dixit, & utinam non accidissent: sed eum in locum, sicut abs te dictum est, res rediit, ut necesse sit, me quod jubes, efficere, nisi & nostrum genus affici contumeliis, & scandalum ingens cupiam exoriri. Ardet mulier, sicut dixti, & impotens sui est: nisi occurro, ferro se fodiet: aut ex fenestris se dabit præcipitem: nec vitæ jam ei, nec honoris est cura. Ipsa mihi suum ardorem patefecit; restiti: increpavi: lenire flammam studui: nihil profeci, omnia præter te parvi facit: nihil nisi te curat:

curat: tu illi ſemper in mente ſedes: te petit: te deſiderat: te ſolum cogitat: ſæpe me vocitans, audi precor Euriale, dixit: Sic mulier ex amore mutata eſt, ut jam non eadem videatur. Heu dolor, heu pietas: nulla prius in urbe tota, vel caſtior, vel prudentior Lucretia fuit: mira res, ſi tantum juris natura dedit amori in mentes humanas. Medendum eſt huic ægritudini, nec alia cura eſt, niſi quam tu monſtraſti. Accingam me huic operi, teque dum tempus erit, commonefaciam: nec ex te gratiam quæro, quia non eſt officium boni viri, cum is nihil promereatur, gratiam poſcere: Ego ut vitem infamiam noſtræ imminentem familiæ, hoc ago, quod ſi tibi conducit, non propterea ſum amandus. At enim Eurialus inquit: Ego vel ſic tibi gratiam habeo, & creari te Comitem, ut dictum eſt, curabo, modo tu dignitatem iſtam non ſpernas. Non ſperno, inquit Pandalus: ſed ne hinc profecta ſit volo: ſi ventum eſt, libere veniat, nihil ego conditionale facio. Si potuiſſet hoc te neſciente fieri, mea ut opera apud Lucretiam eſſes, libentius egiſſem. Vale. Et tu vale, retulit Eurialus, poſtquam animum reddidiſti: fac, finge, inveni, effice, ut ſimul ſimus.

Hilaris Pandalus lætuſque abiit, tum quod

quod tanti viri gratiam inveniſſet, tum quod ſe jam Comitem eſſe ſperabat, cujus dignitatis tanto erat avidior, quanto ſe minus cupere demonſtrabat. Sunt enim homines quidam ut mulieres: quæ cum maxime nolle dicunt, tum maxime volunt. Hic lenocinii mercede ſortitus eſt Comitatum, & auream bullam ſuæ nobilitatis poſteritas demonſtrabit.

In nobilitate multi ſunt gradus, mi Mariane: & ſane ſi cujuſlibet originem quæras (ſicut mea ſententia fert) aut nullas nobilitates invenias, aut admodum paucas, quæ ſceleratum non habuerunt ortum. Cum enim hos dici nobiles videamus, qui divitiis abundant, divitiæ vero raro virtutis ſunt comites, quis non videt, ortum eſſe nobilitatis degenerem. Hunc uſuræ ditarunt: illum ſpolia: proditiones alium: hic veneficiis ditatus eſt: ille adulationibus: huic adulteria lucrum præbent: nonnullis mendacia proſunt: quidam faciunt ex conjuge queſtum: quidam ex natis: plerosque homicidia juvant. Rarus eſt, qui juſte divitias congregat. Nemo faſtum amplum facit, niſi qui omnes metit herbas: congregant homines divitias multas, nec unde veniant, ſed quam multæ veniant, quærunt. Omnibus is verſus placet:

Vnde

Vnde habeas quærit nemo: sed oportet habere.

Postquam vero plena est arca, tunc nobilitas poscitur: quæ sic quæsita, nihil est aliud quam præmium iniquitatis. Majores mei nobiles habiti sunt, sed nolo mihi blandiri: non puto meliores proavos meos aliis, quos sola excusat antiquitas, quia non sunt in memoria eorum vitia. Mea sententia:

Nobilis est nemo, nisi sit virtutis amator.

Non miror, aureas vestes, equos, canes, ordinem famulorum, lautas mensas, marmoreas ædes, villas, prædia, piscinas, jurisdictiones, sylvas: nam hæc omnia stultus assequi potest, quem si quis nobilem dixerit, ipse fiet stultus. Pandalus noster lenocinio nobilitatus est.

Non multis post diebus rure inter Menelai rusticos rixatum est, & occisi nonnulli, qui plus satis biberant, opusque fuit ad res componendas, Menelaum proficisci. Tum Lucretia, mi vir, inquit grandævus es homo, debilisque, equi tui graviter incedunt, quære gradarium aliquem recipere commodatum: Cumque percunctaretur, ubinam esset aliquis, optimum, inquit Pandalus, ni fallor, Eurialus habet, & tibi libens concedet, si me vis petere. Pete, inquit

Me-

Menelaus. Rogatus Eurialus, mox equum jussit adduci; Isque sui gaudii signum recepit, secumque tacite dixit: Tu meum equum ascendes Menelae, ego uxorem tuam equitabo.

Conventum erat, ut noctis ad horam quintam in vico Eurialus esset, speraretque bene, si cantantem Pandalum audiret. Abierat Menelaus, jamque cœlum noctis abduxerant tenebræ: mulier in cubili tempus manebat. Eurialus ante fores erat, signumque morabatur, nec cantum audiebat, nec screatum. Iam præterierat hora, & ut abiret Eurialus, suadebat Achates, delusumque dicebat. Durum erat amanti recedere; & nunc unam, nunc aliam causam manendi quærebat. Non canebat Pandalus, quia Menelai frater domi manserat, & omnes aditus perscrutabatur, ne quid insidiarum fieret: noctemque trahebat insomnem: cui Pandalus, nunquamne, inquit, hac nocte cubitum ibimus? jam nox medium poli transcendit axem, & me gravis occupat somnus: miror te, cum juvenis sis, senis habere naturam, quibus siccitas somnum aufert, nec unquam dormiunt, nisi paulum prope diem, dum currus volvitur septentrionalis helices, ubi jam tempus esset surgendi: eamus tar-

tandem dormitum : quid ſibi volunt hæ vigiliæ ? Eamus, inquit Agamemnon, ſi tibi ſic videtur: antea tamen inſpiciendæ ſunt fores, an ſatis firmatæ ſint, ne furibus pateant : venienſque ad oſtium, nunc unam, nunc aliam ſeram admovit, & peſſulum addidit. Erat illic ingens ferrum, quod vix duo poterant levare, quo nunquam oſtium claudebatur, quod poſtquam Agamemnon levare non poſſet, juva me, inquit, Pandale, admoveamus ferrum hoc oſtio, tum dormitum ibimus. Audiebat hos ſermones Eurialus, & actum eſt, tacitus ait, ſi hoc ferramentum adjungitur. Tum Pandalus, quid tu paras Agamemnon ? tanquam domus obſidenda ſit, firmare oſtium paras ? annon tuti ſumus in civitate ? libertas hic eſt, & quies omnibus eadem ; tum hoſtes procul ſunt, quibuſcum bella gerimus, Florentini : ſi fures times, ſatis clauſum eſt, ſi hoſtes, nihil eſt, quod hac in domo te poſſit tueri : ego hac nocte non ſubibo hoc onus, quia ſcapulas doleo, & infra ſum ruptus, nec geſtandis oneribus idoneus : aut tu leva, aut ſine. Vah, ſatis eſt, inquit Agamemnon, dormitumque ceſſit. Tum Eurialus manebo, adhuc hic horam, ait, ſi aliquis adaperiat. Tœdebat Achatem
moræ,

moræ, tacitusque maledicebat Eurialo, qui se tam diu retineret insomnem: nec diu mansum est, cum per rimulam visa Lucretia est, parum quid luminis secum ferens: versus quam pergens Eurialus; salve, mi anime, Lucretia dixit: At illa exterrita, fugere primum voluit: exinde recogitans, quis tu es vir, ait? Eurialus tuus, inquit Eurialus. Aperi mea voluptas, jam mediam noctem te hic operior. Agnovit Lucretia vocem; sed quia simulationem timebat, non prius ausa est aperire, quam secretam inter se tantum notam percepit: post hæc magno labore seras removit: sed quia plurima ferramenta fores retinebant, quæ manus fœminea ferre non poterat, ad semipedis duntaxat amplitudinem ostium patuit; nec hoc ait, obstabit, Eurialus, extenuansque suum corpus, per dextrum latus intro sese conjecit, mulieremque mediam amplexus est: Achates extra in excubiis mansit. Tum Lucretia sive timore, sive gaudio exanimata, inter Euriali deficiens brachia, pallida facta, & omisso verbo ac oculis clausis, per omnia similis mortuæ videbatur, nisi quod adhuc calor pulsusque manebat. Exterritus Eurialus subito casu, quid ageret, nesciebat, secumque: si abeo mortis sum reus, qui fœminam n t

tanto discrimine deseruerim: Si maneo, intervenerit Agamemnon aut alius ex familia, & ego perierim. Heu amor infœlix, qui plus fellis, quam mellis habes: non tam absinthium est amarum quam tu: quot jam discriminibus me objecisti? quot mortibus meum caput devovisti? Hoc nunc restabat, meis in brachiis ut fœminam exanimares? Cur me non potius interemisti? cur non me leonibus objecisti? Heu quam optabilius erat in hujus me potius gremio, quam istam in meo sinu defecisse. Vicit amor virum, abjectaque propriæ cura salutis, cum fœmina mansit; elevansque altius mutum corpus, atque deosculans madidus lachrymis, heu Lucretia inquit, ubinam gentium es? ubi aures tuæ? Cur non respondes? cur non audis? aperi oculos obsecro, meque respice, arride mihi ut soles; tuus hic Eurialus assum: tuus te amplectitur Eurialus, mi anime. Cur me non contra basias? miror; obisti, an dormis? ubi te quæram? Cur si mori volebas, non me monuisti, ut me occidissem una tecum? nisi me audis, en jam latus meum aperiet gladius, & ambos habebit exitus unus: Ah vita mea; suavium meum: delitiæ meæ: spes unica: integra quies. Siccine te Lucretia perdo? attolle

attolle oculos: eleva caput. Nondum mortua es video: adhuc cales: adhuc ſpiras: Cur mihi non loqueris? Sic me recipis? adhæc me gaudia vocas? hanc mihi das noctem? Aſſurge oro, requies mea:, reſpice tuum Eurialum: Aſſum Eurialus tuus. Ac ſic fatus lachrymarum flumen ſupra frontem & mulieris tempora fluit, quibus tanquam roſarum aquis excitata mulier, quaſi de gravi ſomno ſurrexit, amantemque videns; heu me inquit, Euriale, ubinam fui? cur non me potius abire ſiviſti? beata jam moriebar in tuis manibus: utinam ſic excéderem, antequam tu hac urbe decederes. Çum ſic invicem fantur, in thalamum pergunt, ubi talem noctem habuerunt, qualem credimus inter duos amantes fuiſſe, poſtquam navibus aliis raptam Helenam Paris abduxit; tamque dulcis nox iſta fuit, ut ambo negarent, tam bene inter Martem Veneremque fuiſſe. Tu meus es Ganymedes: tu meus Hypolitus, Diomedeſque meus, dicebat Lucretia: Tu mihi Polyxena es, Eurialus referebat: tu Aemilia; tu Venus ipſa: & nunc os, nunc genas, nunc oculos commendabat; elevataque nonnunquam lodice, ſecreta quæ non viderat omnia, contemplabatur, & plus, dicebat, invenio, quam

quam putaram: talem lavantem vidit Actæon in fonte Dianam. Quid his membris formosius? quid candidius? Iam redemi pericula. Quid est, quod propter te non debeat sustineri? ô pectus decorum! ô papillæ premendæ: vos ne dango? vos ne habeo? vos ne meas incitistis manus? O teretes artus! ô redolens corpus! tene ego possideo? Nunc mori facilius est, quando gaudium hoc est recens, ne qua interveniat calamitas. Anime mi teneo te, an somnio? vera ne ista voluptas est, an extra mentem positus sic reor? Non somnio: certe vera res agitur. O suavia basia! ô dulces amplexus! ô melliflui morsus! Nemo me fœlicius vivit, nemo beatius. Sed heu quam veloces horæ; invida nox, cur fugis? Mane Apollo, mane apud inferos diu; Cur equos tam cito in jugum trahis? sine plus graminis edant. Da mihi noctem, ut Alcumenæ dedisti. Cur tu tam repente Tythoni tui cubile relinquis aurora? Si tam grata illi esses, quam mihi Lucretia, haud tam mane surgere te permitteret. Nunquam mihi nox visa est hac brevior: quamvis apud Britannos Dacosque fuerim. Sic Eurialus: nec minora dicebat Lucretia: nec osculum nec verbum irrepensatum præteriit. Stringebat

bat illa: nec post venerem lassi jacebant, sed ut Antheus ex terra validior resurgebat, sic post bellum alacriores illi robustioresque fiebant. Nocte peracta, cum crines suos ex Oceano tolleret aurora, discessum est. Nec post multos dies redeundi copia fuit, crescentibus dietim custodiis. Sed omnia superavit amor, viamque tandem conveniendi reperit, qua usi amantes sunt. Interea Cæsar, qui jam Eugenio reconciliatus erat, Romam petere festinaverat: Sensit hæc Lucretia, quid enim non sentit amor? aut quis fallere posset amantem? Sic igitur Lucretia scripsit Eurialo.

Lucretia scribit Eurialo.

SI posset animus meus irasci tibi, jam succensserem; quod abiturum te dissimulasti, sed amat te, quam me magis spiritus meus, nullaque potest ex causa adversus te moveri. Heu meum cór: quid est quod mihi Cæsarem non dixisti recessurum? Ille itineri se parat: nec tu manebis, scio; quid obsecro de me fiet? quid agam misera? ubi quiescam? si me relinquis, non vivo biduum. Per ego has literas meis lachrymis madidas: per tuam dexteram & datam fidem, si de te

quicquam merui, aut fuit tibi quicquam dulce meum, miserere infelicis amantis. Non peto, quod maneas, sed tolle me tecum. Fingam me vespere Bethlehem petere velle, unicamque recipiam anum: assint illic duo tresve famuli ex tuis, me qui recipiant: nihil negotii est volentem eripere. Nec tibi dedecori puta, nam & filius Priami conjugem sibi raptam paravit; non injuriaberis viro meo, is enim omnino me perditurus est. Nam nisi me abducas, mors illi me auferet. Sed noli tu esse crudelis, meque morituram relinquere, quæ te pluris semper quam me feci.

Ad hæc Eurialus in hunc modum scripsit.

CElavi te usque huc mea Lucretia, ne te nimium afflictares, antequam tempus esset. Scio mores tuos, novi te, quia te nimis crucias. Nec Cæsar sic recedet, ut non sit reversurus: Ex urbe postquam reverterimus, hoc iter est nobis in patriam. Quod si Cæsar aliam viam fecerit, me certe si vixero, reducem videbis: negentque mihi patriam superi, errabundoque similem reddant Vlyssi, nisi huc revertar. Respira ergo, mi

mi anime, ſumeque vires: noli te macerare: quin vive potius læta. Quod dicis de raptu, eſſet mihi tum gratum, tum jucundiſſimum, nec mihi major voluptas præſtari poſſet, quam te ſemper habere mecum, ac meo ex arbitrio potiri: ſed conſulendum eſt magis honori tuo, quam meæ voluptati: Exigit namque fides tua, qua me complexa es, tibi ut conſilium fidele præbeam, & quod in rem ſit tuam. Tu te ſcis prænobilem eſſe, & in clara familia nuptam: nomen habes tum pulcherrimæ, tum pudiciſſimæ mulieris: nec apud Italos ſolum tua fama clauditur, ſed & Teutones, & Pannonii, & Bohemi, & omnes Septentrionis populi tuum nomen agnoſcunt. Quod ſi ego te rapiam, mitto dedecus meum, quod tui cauſa flocci facerem, qua ignominia tuos afficeres neceſſarios? quibus doloribus tuam matrem pungeres? quid de te diceretur? quis rumor exiret in urbem? Ecce Lucretia, quæ Bruti conjuge caſtior, Penelopeque melior dicebatur, jam mœchum ſequitur, immemor domus, parentum, & patriæ. Non Lucretia, ſed Hyppia eſt, vel Iaſonem ſecuta Medea. Heu me, quantus mœror, cum de te talia dici ſentirem. Nunc amor noſter clam eſt, nemo te

non laudat: rapina turbaret omnia: nec unquam tam laudata fuisti, quam tunc vituperareris. Sed mittamus famam: quicquid sit; amore perfui nostro non valeremus. Ego Cæsari servio: Is me virum fecit potentem: divitem: nec ab eo recedere possum, sine mei status ruina; quod si eum desererem, non quirem te decenter habere: si curiam sequerer, nulla quies esset, omni die castra movemus. Nusquam Cæsari tanta mora fuit, quanta nunc Senis; idque belli necessitas fecit: quod si te circumducerem, & quasi publicam fœminam in castris haberem, vide quam esset mihi & tibi dedecorum. His ex rebus obsecro te mea Lucretia, mentem ut exuas, bonique consulas, nec furori magis quam tibi blandiaris. Alius fortassis amator aliter suaderet, ut ultro te fugere precaretur, ut te quamdiu posset, abuteretur, nil futuri providus, dum præsenti satisfaceret ægritudini: sed is non esset amator verus, qui lubidini magis quam famæ consuleret. Ego mea Lucretia, quod frugi est, moneo. Mane hic te rogo: ne dubita rediturum: quicquid apud Hetruscos incumbet agendum, à cæsare mihi committi curabo, daboque operam, ut te frui abs tuo incommodo possim Vale, vive,

vive, ama: nec meum quam tuus est, ignem putato minorem, aut me non invitissimum hinc abscedere. Iterum vale mea suavitas, & animæ cibus meæ.

Acquievit his mulier, & imperata factura, rescripsit.

Paucis post diebus Eurialus cum Cæsare Romam perrexit, nec diu moratus illic febribus est incensus. Infœlix penitus, qui cum arderet amore, febrium quoque cœpit ignibus æstuare. Cumque jam vires amor extenuasset; adjectis morbi doloribus, parum supererat vitæ, tenebaturque spiritus medicorum remediis potius, quam manebat. Cæsar quotidie ad eum veniebat, & quasi filium solabatur, omnesque curas Apollinis adhiberi jubebat: Sed nulla valentior fuit medela, quam Lucretiæ scriptum, quo viventem illam & sospitem cognovit. Quæ res febres aliquantisper imminuit, Eurialumque surgere in pedes fecit, qui & coronationi Cæsaris interfuit: ac ibi militiam suscepit & aureum calcar.

Post hæc cum Cæsar Perusium peteret, is Romæ mansit, nondum ex integro sanus: Exinde Senas venit, quamvis adhuc debilis extenuatusque facie. Sed intueri potuit, non alloqui Lucretiam. Epistolæ plures utrinque missæ sunt, rursusque

fusque de fuga tractatum est. Triduo illic mansit Eurialus, dum sibi aditus omnes videret ereptos; recessum ejus amanti renunciavit. Nunquam tanta dulcedo in conversando fuit: quanta in recedendo mœstitia. Erat in fenestris Lucretia, per vicum jam Eurialus equitabat: humidos oculos alter in alterum jaciebat. Flebat unus: flebat alter: ambo doloribus urgebantur: ut qui suis ex sedibus cor avelli violenter sentiebant.

Si quis in obitu, quantus sit dolor, ignorat, duorum amantum separationem consideret, quamvis major hic anxietas inest, & cruciatus ingentior. Dolet animus in morte, quia corpus relinquit amatum: corpus absente spiritu nec dolet, nec sentit: at cum duo invicem conglutinati per amorem unius sunt animi, tanto pœnosior est separatio, quanto sensibilior est utriusque dilectio. Et hic sane jam non erant spiritus duo, sed quemadmodum inter amicos putat Aristophanes, unius animæ duo corpora facta erant: Itaque non recedebat animus ab animo, sed unicus amor scindebatur in duos: tum cor in partes dividebatur, mentis pars ibat, pars remanebat, & omnes invicem sensus disgregabantur, & à se ipsis discedere flebant. Non mansit

in amantium faciebus sanguinis gutta; nisi lachrymæ fuissent & gemitus, simillimi mortuis videbantur. Quis scribere, quis referre, quis cogitare posset illarum mentium molestias, nisi qui aliquantum insanivit? Laodemia, recedente Prothesilao, & ad sacras Ilii pugnas exeunte, exanguis cecidit; Eadem postquam viri mortem agnovit, vivere amplius minime potuit. Dido Phœnissa post fatalem Aeneæ recessum, seipsam interemit. Nec Porcia post Bruti necem voluit superesse. Hæc nostra postquam Eurialus ex visu recessit, in terram collapsa, per famulos recepta est, cubilique data, donec resumeret spiritum: ut vero ad se rediit, vestes aureas purpureasque, & omnem lætitiæ reclusit ornatum, vilibusque tunicis usa nunquam posthac cantare audita est; nunquam visa ridere: nullis facetiis: nullo gaudio: nullisque unquam jocis in lætitiam potuit revocari.

Quo in statu, dum aliquandiu perseverat, in ægritudinem incidit, & quia cor ejus abierat: nullaque menti dari consolatio poterat, inter multum plorantis brachia matris, ac collachrymantis, & frustra consolatoriis verbis utentis, necessario indignantem animam exhalavit. Eurialus postquam ex oculis Lucretiæ abiit,

nulli

nulli inter eundum locutus, solam in mente Lucretiam gerebat, & an unquam reverti posset, meditabatur: venitque tandem ad Cæsarem Perusii manentem: quem deinde Ferrariam, Mantuam, Tridentum, Constantiam & Basileam secutus, ac demum in Hungariam atque Bohemiam: sed ut ipse Cæsarem, sic eum Lucretia sequebatur in somniis, nullamque noctem ei quietam permittebat. Quam ut obiisse verus amator agnovit, magno dolore permotus, lugubrem vestem recepit, nec consolationem admisit, nisi postquam Cæsar ex Ducali sanguine virginem ipsi, tum formosam, tum castissimam, atque prudentem matrimonio junxit. Habes amoris exitum Mariane mi amantissime, non ficti neque fœlicis. Quem qui legerint, periculum ex aliis faciant, quod sibi ex usu siet. Nec amatorium bibere poculum studeant, quod longe plus aloës habet quam mellis. Vale. Ex VVienna 5. Nonas Iulii. Anno Salutis M CCC XLIIII.

Finis Historiæ.

LI-

LITERÆ EROTICÆ
SEU
AMATORIÆ.

Hannibal Dux Numidiæ, S. P. D. & seipsum dat singulari Dominæ, insigni & formosissimæ virgini Lucretiæ, Regis Epirotharum filiæ.

Voluit te sæpius alloqui, amoremque meum tibi notum efficere, sed ætas mea nimis adhuc verecunda est, quæ non patitur, quod intra me sentio, foras exire: quamprimum incipio loqui, mox rubor adest: timor impedit, & mediis vox in faucibus hæret, nec cogitata possum affari: timeo modestiam tuam, ne me arguat: Vereor astantes, ne me derideant: horresco me ipsum, ne balbutiens fiam. Hac de re quod statueram dicere, decrevi literis committere, quia epistola non erubescit, non suspirat, non timet quenquam. Forsitan arduum, arduum aliquid & per difficile postulaturum me putas: parum est quod volo, hoc si mihi concesseris, multum existimabo. Ego enim, modestissima virgo, fateor,

fateor, me tui amantem esse, captumque tui vultus splendore: tu meum desiderium es: tu spes mea: tu quies: tu refrigerium. Cum te video, quiescit animus meus, & se oblectat: at cum abes, ne te cernere possim, magis urgeor stimulis, nec aliud meditor, nisi ut quamprimum te revisam. Hoc multiplici caussa factum est: Nam & forma & honestas in te concurrunt. Laudant Helenam Poëtæ; at ego illam non existimo tibi fuisse similem: nec Polixenam tibi comparaverim; aut eam, quam dilexit Hercules Deianiram, tu omnes vincis & pulchritudine & moribus, quasi altera Philomena. A calce usque ad verticem nulla est in te menda: crines tui splendorem auri superant: frons alta & spaciosa est: supercilia in arcum tensa, debitis spaciis distinguuntur. Oculi tui tanquam duo emicant sydera, inde sagittas emittis & vulneras juvenes: hinc quos vis, occidis, & quos vis, vivificas: nasus suis conveniens partibus, faciem mirifice honestat: genas candore niveo resperssas modestus rubor intersecat: quid labia corallina, & cristallinos referam dentes, & omnes oris tui partes, unde melliflua manant verba? hinc risus ille progreditur, qui mihi sæpe ad intima penetrat.
O vi-

O virum fœlicem, qui labia illa mordebit: qui tales osculabitur genas, qui mentum tuum & candidiorem Scythica nive gulam tuam poterit tangere. Nolo pectoris tui & illorum pomorum, quæ ibi latent, mentionem facere, ne referens nimis ardeam. Tute scis, quam intra & extra formosa sis. Ego mirari magis, quam digne commendare te possum. Hoc tantum quia mores tui regio fastigio digni, & forma plus quam dici possit honesta, ex duce me servum tuum fecerunt; tuus enim sum, nihilque magis cupio, quam rem gratam tibi efficere. Nec miror; nam & Phœbus (ut inquiunt fabulæ) licet esset Iovis regis Cretæ (quem vetustas pro Deo coluit) filius, Admeti tamen regis filiam amans, pastorem se fecit, & gregem pavit. Ego igitur libens servio tibi, nec aliud à te postulo, nisi ut amare me sinas; & animo æquo feras, si mea dicaris amica, hoc est quod volo, peto, exigo; nil postulo plus. Fer tuus ut amator dicar. Nam & amator ero & servus, tu modo annuas. Confiteor dignam te, quam meliores, quam ego sum, ament: esset vix Paris aut Hypolitus dignus amore tuo: tu tamen noli quærere formam; nam & qui pulchri sunt, superbi etiam sunt,

ſunt, nec ſtabilem habent amorem. In me erit amor perpetuus: qui natus in adoleſcentiæ meæ flore, cum ætate creſcens, ad ſenium perducetur, dummodo tu mihi faveas, & me adjuves, quem tamen non debes deſpicere: nam & mihi non negavit Deus mediocrem formam: ſunt mihi præterea opes multæ, quæ omnes erunt tuæ, ſi vicem amoris rependeris. Ah quid dixi; nimium erravi, non ut ames peto, ſed ut amare ſinas: hoc ſi tua ex gratia impetravero, beatus ſum. Tu, quid factura ſis, reſcribe. Et vale animula mea, delitiæ meæ, corculum meum.

AMO-

AMORIS ILLICITI MEDELA.

Aeneas Sylvius Poëta Nicolao VVartebürgensi.

S. P. D.

QVærebaris mecum nocte præterita, quod amori operam dares, nec delibutum ac vincitum animum solvere posses. Dixisti, te nec virginem, nec nuptam, nec viduam amare, sed mulierem quamvis pulchram, meretricem tamen, quibuslibet viris precii causa sese substernentem. Id tibi molestum esse ajebas, libenterque amorem hunc velle te abjicere, sed viam modumque nescire, quo fieri liber & amore vacuus posses. Nam etsi plures sacerdotes consulueris, neminem tamen remedia, quæ tibi viderentur efficacia, protulisse dicebas. Rogasti igitur me, magnisque precibus efflagitasti, ægritudini tuæ ut aliquam afferrem medelam, ac iter ostenderem tibi, quo posses ardentis amoris flammas effugere. Parebo desiderio tuo: salubria præbebo tibi remedia, si ea amplecti volueris: nec vere-

verebor Medici culpam mihi aſcribi, ſi tu obedientis ægroti perſonam ſuſceperis: quamvis arbitror, quos conſuluiſti ſacerdotes, ſatis tibi feciſſe, ſi præcepta tenuiſſes, quæ illi dederunt; ſed tibi viſa fuerunt fortaſſe gravia. Nam cum dicerent, fuge illam: nihil ei loquaris: nihil de illa audias: durum verbum viſum eſt. At febricitans quoque invitus audit, frigida pocula ſibi negari; ſi tamen ſanari vult, quod Medicus mandat, diligenter obſervabit. Tu ergo, mi Nicolaë, ſi vis amorem evadere liberque fieri, præparate, ut quæ præcipio, ſcias.

Noſcito ægrotum te fore maxima infirmitate deteritum: & propter ſanitatem dura & aſpera eſſe plura ſubeunda. Nempe, ægrotus eſt, mi Nicolaë, omnis qui amat: ac nedum ægrotus, ſed ſervitute etiam captus, atque inſanus & amens. De amore loquor illicito: nam Deum colere, & amare parentes uxorem & liberos, virtutis eſt non vitii: ſanitatiſque non ægritudinis. At tu amorem illicitum ſequeris: quid tu eſſe amorem illicitum, de quo jam loquimur, credis? Veteres putarunt, illum ex Venere Vulcanoque natum, puerum cœcum, alatum, ſagittam in manibus habentem, quibus viros ac mulieres feriens, ardorem

dile-

dilectionis infunderet. Apud Virgilium legimus:

Nunc scio quid sit amor, duris in cautibus illum
Ismarus aut Rhodope aut extremi Garamantes
Nec generis nostri puerum, nec sanguinis edunt.

Sed error hic mortalis populi fuit, qui veritatem attingere non potuit; Amor, ut in Tragœdiis inquit Seneca: nihil aliud est, nisi vis quædam magna mentis, blandusque animi calor inventa, gignitur luxu, otio, & inter læta fortunæ bona nutritur. Hic mentem hominis eripit: judicium omne pervertit: sensum cum hebetat: animum extinguit, Namque cum mulierem diligis, non in te, sed in illa vivis. Quid igitur pejus est, quam viventem non vivere? quam sensum habentem non sentire? quam oculis præditum non videre? Equidem qui amat, in alium mutatur virum; nec loquitur, nec facit, quæ ante solebat. Hinc Parmeno apud Terentium: Dii boni, quid hoc morbi est? adeon' homines mutarier ex amore, ut non cognoscas eundem esse? Putat Comicus morbum esse amorem: nec male putat: nam & apud Macrobium: Luxuriam quæ vel mater amoris

moris est, vel filia, deterrimi morbi partem Hippocrates esse dicit. Hic morbus plerunque juvenes aggreditur: sed viros quoque senesque vexat; tantoque periculosior & risu dignior est, quanto persona, quæ capta est, ætate aut scientia censetur præstantiori

Cum ergo Hipolite captus sis, amorique servias, scias te morbosum esse. Si morbosus es, liberari stude. Nam quis morbum patitur, qui curari non velit? Sane ut morbus gravior est, acerbior, periculosior; eo morbosi major est de sanitate cura: tua infirmitas magna est; sit & curæ diligentia magna. Cogita mi Nicolaë, quo in statu es: tu nihil te existimas; quicquid tibi eveniat, leve est: solum super amicam anxius es. Non parentes, non necessarios, non benefactores magnifacis: solus tuus animus in amica est: Illam amas: illam somnias: de illa cogitas: de illa loqueris: de illa suspiras: nihil agis, quin memoriam ejus habeas. En stultitiam, amentiam morbumque teterrimum. An non est petenda cura? Quis non hoc morbo salvari debet?

Cæterum ad salutem tuam hæc sunt necessaria, Nicolaë, quæ si feceris, sanus eris; si neglexeris, sepelieris in morbo tuo,

bo tuo, nec te quisquam juvare poterit. Cogita primum, quam remote à præceptis Dei recessisti, qui cum debeas Deum ex toto corde diligere, creaturam amasti: & in ea omnem tuam delectationem posuisti: sic enim factus es idolorum cultor. Nam qui creaturam Deo præponit, idolatra est. Negabis te idololatram esse, quasi non præponas creatori creatum: at si verum fateri vis, plus tuam amicam diligis quam Deum. Nam quæ Deus mandat, negligis, postponis, contemnis, quæ vult amica, summa cum diligentia curas adimplere: & hoc nempe est præferre mulierem Deo. Heu quam magnum est malum, quam periculosum, quam detestabile, creaturam sic amare, ut Deum parvi facias. Deus, cum esses nihil, te aliquid esse fecit, ut possis scire divina sacramenta, & viam qua itur in cœlum. Ipse quoque Deus, cum ob culpam primi parentis tu & cæteri homines paradysum amiseritis, nasci pro te voluit, fieri homo, capi, cædi, vituperari, crucifigi, mori, ac suo te precioso redimere sanguine: En quam magna ingratitudo est, iniquitas, inhumanitas, severitas, hunc qui tanta pro te fecerit, propter vilem relinquere mulierculam: hoc satis te cæterosque Chri-

ſtianos movere debet ab amoribus illicitis, ad Deo ſoli ſerviendum.

Sed cogita ulterius, quid agas Nicolaë. Pulchra tibi videtur amica tua? credisne ſic ſemper pulchra erit? Res eſt forma fugax, ut inquit Tragœdus: mulier, quæ hodie formoſa eſt, cras deformis erit. Quid tua bona perpetua & immutabilia pro caducis mutabilibuſque permutas? Sit, ut putas, ſpectabili forma mulier; leve hoc bonum eſt: nihil forma mulieris eſt, niſi moribus adjuta. Caſtitas eſt, quæ fœminam laudat, non forma: tu non caſtitatem ſequeris, formam ſolum amas. Forma hęc ut flos agri decidit; roſa mane rubet, ſero langueſcit. Nihil formoſius eſt virtute atque honeſtate: ſi hanc intueris; multo tibi formoſior videretur, quam tua ſit amica. Etenim nec Lucifer, nec Heſperus tam decorus eſt, quam ipſa facies honeſtatis: quam qui relinquit propter mulierem, perpende, quæſo, quam ſit delirus & amens. Cæterum Nicolaë, ut tecum non multis utar: hæc quam amas mulier, non tua ſola eſt; ſed complures eam habent: nec ipſa te ſolum amat, ſed alios quoque diligit. Quid tu in turba vis facere? Cogita te jam eſſe in veſpero, jam ſenem, jam morti proximum?

Viſne

Visne cum mulieribus contendere? vis cum robustis pugnare? Quid tibi in eo prælio quæris, in quo victor succumbes? Magna res est, virum senem à juvenibus extorquere mulierem. Sis tamen potens, ut extorqueas, quid vicisti, cum prælium hujusmodi sit, ut vincens succumbat? Quid enim, quæso, mulier, nisi juventutis expilatrix: virorum rapina: senum mors: patrimonii devoratrix: honoris pernicies: pabulum Diaboli: janua mortis: inferni supplementum.

Cogita Nicolaë, quot mala per mulierem obvenerint: Cum Salomon: cum Holofernes: cum Samson per mulierem decepti fuerint. Non te credas sic fortem esse, ut non illudaris: sed quanto viris illis debilior es, incautior, imprudentior, tanto te magis ab eo loco semove, in quo potes decipi. Nihil est mulieris amor, qui cum peccato fit. Non est in muliere stabilitas, quæ nunc te amat, cras alium amabit: quid tu hunc amorem æstimes, qui in plures divisus est? nulla mulier tam fixe aliquem amavit, quæ veniente novo proco, novisque precibus vel muneribus, non mutarit amorem.

Mulier est animal imperfectum: varium: fallax: multis morbis passionibusque

busque subjectum : sine fide : sine timore : sine constantia : sine pietate. De his loquor mulieribus, quæ turpes admittunt amores; nunquam hæ stabiles sunt: namque ut semel à recto tramite recesserunt, jam se liberas arbitrantur, ut quocunque velint, vagentur, nec amplius vel mariti, vel amici timorem habent. Credo equidem illam coëundi fœtidam voluptatem tibi, qui jam senio exhaustus es, parum placere. Nam quid nedum tibi antiquo & arido, sed juveni humecto, illa inepta & spurca voluptas conferre potest, quam mox pœnitudo consequitur? Annon magna res est admonitio illa ac cstatio sive commutatio quædam, quæ post peccatum evestigio mentem hominis cruciat? quam iniquus est homo, qui toties admonitus non quiescit; qui punitus non emendatur: qui correctus non efficitur melior. Quid ille actus carnalis operatur, nisi carnis interitum? Vtinam solam carnem interimeret: & non occideret animam. At duo cum invicem coëunt, vir atque fœmina, quasi duo vasa testacea mihi videntur, quæ inter se confricentur, donec rumpantur, & ad nihilum redigantur.

Tu tamen non in coitu, sed in visu ser-

ſermoneque forſitan oblectaris. Quid obſecro in viſu eſt tam pulchri, ut non invenias aliquid pulchrius? Pulchritudo, quam debemus quærere, in cælo eſt, cui nulla poteſt res mundana comparari: in illa omnis perfectio eſt, mundana ſemper diminuta ſunt: Illa perpetua, hæc caduca: Illa fixa, hæc fluxa. Hanc quam tu miraris formam, parva quædam febris eripiet; aut ſi morbus abſuerit, ſenectus non deerit, quæ illam teretem, ſucci plenamque faciem, rugoſam criſpamque reddat: ſicut illa, quæ nunc miraris membra, decurſu temporis arida, nigra, ſqualida, fœtore ac ſpurcitia plena fient: non oculi ſplendorem undique ſervabunt; fœtebit os: collum incurvabitur: Corpus undique ſicco & arido trunco fiet ſimile. Cogita hæc, & averte ſpem, priuſque fuge quam priveris: multo enim melius eſt rem contemnere quam perdere. Iam vero de ſermone ſuavi, dulci, placido & mellifluo, quo te dicis oblectari, admodum miror. Quid enim ſermo muliebris in ſe dulce habet? Quid dicit tibi amica? nempe aut queritur: aut plorat; aut minatur: aut tibi inanes refert fabulas: dicit quid cum vicina fecerit: quid ſomniaverit: quot ova gallina pepererit: quibus floribus ſerta componantur. Omnis ſermo mulieris de re vana levique eſt; in quo,

E qui

qui oblectatur, & ipsum levem esse oportet. Narrat tibi nonnunquam, quod & cum alio amatore, & quo pacto jacuerit: quid doni receperit: quam cœnam habuerit: quibus voluptatibus fuerit usa: quæ res non gaudium tibi, sed cruciatum afferunt. Sed accipias; quæ velis gaudia in sermone, amice, erisne amens rationisque inops, ut non magis in alicujus docti viri verbis sermonibusque læteris? Resume omnia simul, quæ in amore sunt gaudia, rursumque tædia, pauca illa reperies, veramque illius sententiam dices, qui parum mellis in multo felle mersum, inquit, amorem esse. Cum ergo Nicolaë totus amor, de quo loquimur, vanus, asper, amarus, damnosusque sit: & hominem morbo gravissimo teneat: curandum est, ut ab eo libereris.

Cura autem ea est, ut menti tuæ persuadeas, malum esse amorem: post hæc declines amicæ sermonem: ocium fugias: in negotio semper sis: viros bonos, qui te instruunt sequaris: nulli ludo: nulli convivio intersis. Si quid largita est amica, abs te abjicias: nihil penes te sit, quod illius fuerit; puta illam esse nunciam Diaboli, qui te perdere velit. Sint in memoria Christi beneficia, quæ tibi impendit. Cogita, quot benefacienti præmia in cœlestibus sedibus, & quot malefacienti supplicia apud inferos

inferos præparata sunt. Cogita, dies tuos assidue fieri breviores, instareque semper ultimum. Cogita, quod irrisui sit, qui amat, & præsertim vir ævo maturus. Cogita instabilem mulieris animum. Cogita jacturam temporis, quo nihil est preciosius. Cogita, disputationem bonorum. Cogita, vitam, quam vivimus, brevissimam in hoc seculo, quamvis voluptatibus sit dedita: & in alio mundo, quem inquirimus, nullum esse finem. Hæc si tecum sedulo cogitaveris, præceptaque ista tenueris, amorem quo cruciaris, à te brevi tempore relegabis, virumque te præstabis Deo gratum cœloque dignum. Vale.

ÆNEAS SYLVIUS
IN
EFFIGIEM AMORIS.

Vidimus effigiem lascivi nuper amoris,
Quæ nimium mentem movit imago meam.
Nec barbam malis: nec corpore tegmen habebat.
Nudus terga, manus, pectora, crura pedes.
Ast humeris alæ suberant, & flexilis arcus,
Lumina sub tenero cæca supercilio.
Cur puer imberbes nulla lanugine malas?
Cur melius nulla corpore veste tegat?
Lumine cur careat? pharetram cur gestet & arcū?
Cur habeat pennas? Calliopea refer.
Sic ego. Sic retulit quæsitas ilico causas,
Maxima pegasei Calloipea chori.
Qui sapit, evitat malesana cupidinis arma;
Et tantum pueros intrat ineptus amor;
Sive quod est puerò similis, qui cœpit amare,
Atque perit mentem, pingitur inde puer.
Pingitur & nudus; nullum servare pudorem,
Et meminit simplex & manifestus amans.
Pingitur & cæcus, quia non bene cernit honestum,
Nec scit quo virtus, quo ferat error amans.
Vel quia quæ peccet, credat secreta latere,
Cuncta nec in sese lumina versa videt.
Sic est omnis amans; sic se, sic omnia nescit,
Consilium, famam, fœdera, jura, Deos.
Aurea quod curvo torquebat spicula cornu,
Pungere corda ferus significatur amor.
Quod levibus volucres humeris suspenderit alas,
Causa est: huc illuc quod levis errat amans:
Vel quod amor cursum non semper servat eundem,
Nunc abit, & parvas post redit inde moras.

Dixe-

Dixerat; & pressis obmutuit orsa labellis.
Effudi tales protinus ore sonos;
Quam vidi effigiem pharetram gestabat & arcum,
Fax tamen in dextra, non fuit ulla sua.
Sed quoniam veterum finxere poëmata vatum,
Quos ego, quid temere commemorasse putem?
Dic, cur nam tædas fertur gestare cupido?
Dic precor armatus cur habet igne manus?
Quæsitam verbis respondens Musa duobus,
Sic leviter causam reddidit. Urit amor.
Accipe lascivi, quænam sit amoris imago
Carole Cypriaci gloria magna soli.
Ut melius miserum caveas dum noris amorem,
Et redeas ad te, dum mea metra leges.

AMORES
Guiscardi & Gismundæ
DE

DVOBVS AMANTIBVS.

Philippus Beroaldus è Boccatio.

Argumentum.

Gismunda filia Tancredi principis Salernitani filia, in viduitate diutius detenta, deperiit adolescentem formosissimum, sed humillimis ortum natalibus, usque adeo ut cum eo rem haberet: quod ubi rescivit pater, amatoris interempti cor filiæ epulandum apposuit, quod illa deosculata dolore confecta est, id modo patrem precata, ut uno tumulo condantur, quod etiam obtinuit, seipsum interficiens: unde pater magno afficitur dolore. Monentur parentes, ut filias nubiles nuptum mature dent: juvenes vero & juvenculæ ut cautius ament, ne similem sortiantur exitum.



Ancredus placida princeps ditione Salernum,
Et parvum tenuit sceptriger imperium.
Hujus erat mite ingenium moresque benigni:
Huic tranquilla quies lætaque vita fuit.
Vixerat hic nimium fœlix: nisi sanguine amantū
Optasset Senior commaculare manus.

Filius

Filius huic nullus fuerat prolesque virilis,
Cui moriens pulchrum traderet imperium:
Sed fortunatus nimium foret atque beatus,
Si foret in magna filia nulla domo.
Sola fuit forma excellens & nubilis ævo,
Filia corporeis conspicienda bonis.
Gismundæ nomen natæ dixere parentes:
Quæ poterat dici Cynthia sive Venus.
Cujus erat facies priscis æquanda deabus;
Cujus erat candor lacteus atque color.
Diligit hanc genitor solam: solamque requirit;
Hanc fovet: hanc vitam delitiasque vocat.
Multi illum antiqua Dauni de gente petebant;
Lucanique petunt Oenotriique proci.
Sed pater in longum cupidos producit amantes,
Et nectit varias callidus usque moras.
Tandem Campanus multis de millibus unus
Deligitur ductor sponsus: & ille placet.
Gaudia concelebrant; lectus genialis in aula
Sternitur, hic Iuno est pronuba, suntque faces;
Hic hymenæa canunt: sed enim jam fata recusant
Connubium hoc fœlix perpetuumque fore;
Occubat ante diem properata morte maritus,
Et deploratas deserit ecce domos.
Exequias postquam conjunx & justa peregit
Conjugis: ad patrias mœsta remigrat opes:
Iam pertæsa viri, thalamumque perosa jugalem,
Destinat in viduo vivere sola thoro:
Hoc probat ipse parens, natamque in cœlibe lecto
Esse cupit, sine qua vivere triste putat,
Forte fuit juvenis regali pulcher in aula,
Moribus ingenuis & probitate decens.
Is dominum solus curabat: jussaque obibat
Principis, egregia dexteritate potens.
Hunc Gismunda sibi multis ex millibus unum
Deligit: huic soli sola placere cupit.

Deperit hunc furtim: limisque aspectat ocellis:
  Hunc optat tenero posse fovere sinu.
At juvenis, cui nomen erat Guiscardus, acuto
  Ingenio sollers, consilioque vafer:
Cognovit flammas: & se persensit amari,
  Nec minus occultis ignibus ipse calet,
Æstuat, & teneras est mollis flamma medullas,
  Vt fervens stipulas urere flamma solet:
Hanc spectans, pulchraq; oculos in virgine figens,
  Divitias Crœsi despicit atque Midæ.
Gismundam cupit: hanc solam noctesque diesque
  Flagitat, hoc solum nomen in ore sonat.
Felices parili quibus alma calescere flamma
  Dat Venus: & quorum mutuus extat amor.
Ambo cupidineas pariter sensere sagittas:
  Ambo complexus colloquiumque volunt.
Quid faciat Gismunda: patris custodia magni
  Hinc premit: hinc cohibet & decus atque pudor.
Quid non sentit amor? fallacem excogitat artem
  Fœmina: & arcanas conficit ipsa notas;
Littera dissecta celatur arundine furtim,
  Quam dat amatori pulchra puella suo.
Callidus hanc Cannam temere non credit amator
  Esse datam, inventas inspicit ille notas.
Gaudet amans, laudatq; viam, quam fœmina mon- (strat,
  Pollieiti expectans gaudia concubitus.
Scripta docent, furtivus amor cōjungere amantes,
  Quo possit cupidos tempore, quove loco.
Stat vetus & densis vestitur sentibus antrum:
  Aulæ contiguum, principis ante domum.
Desuper exigua patefactum luce foramen
  Imminet: hoc vepres hoc quoque spina tegit:
Illinc angusti calles & semita tendit
  Gismundæ ad Thalamum, conspicuusque foret.
Nemo hanc speluncam longæva ætate peresam
  Noverat: hæc nullis usibus apta fuit.

Quid

Quid non cernit amor? quid non vestigat amator?
Illum deprendit fœmina prima specum.
Illud monstrat iter: carpendus flosculus illinc
Ille est, qui tantam spirat amaraciem.
Quisquis amare cupit, discrimina nulla recuset:
Omneque tormentum judicet esse leve.
Guiscardus nitidis exutis vestibus, hirtum
Induitur corium, præcipitatque moras,
Impiger angustum demisso fune foramen
Intrat sublustri nocte, jubente Deo.
Continuo cæcas nullo comitante latebras
Exuterat. Cœptis sancte Cupido fave.
Tuque Venus juvenem qui se tibi credit, ab omni
Eripe nunc casu subsidioque fove.
Gismunda interea dilectum expectat amantem
Sola, tremens, inter spemque metumque labens.
Jam Guiscardus adest, dominā jam cōspicit; & jam
Alter in alterius candida colla ruunt.
Oscula jam carpunt: jam mutua gaudia sumunt:
Illa suum dominum jam vocat: ille Deam.
O fortunati, natique faventibus astris,
Gaudia si vobis hæc diuturna forent.
Nil homini firmum est: nulla est diuturna voluptas,
Candida nullius it sine nube dies.
Nam dura sæpe jocos dū dulcia furta frequentant:
Fortunæ in laqueos insidiasque cadunt.
Primus furtivum sentit Tancredus amorem:
Primus, proh, natæ cernit adulterium.
Ingemit, & magno perculsus corda dolore,
Quid faciat, nescit: consilioque caret.
Tandem custodes tenebroso ponit in antro,
Qui furtim egressus introitusque notent.
Sic miser & fato natus Guiscardus iniquo
Prenditur, & domini sistitur ante pedes.
Cui mox Tancredus lachrymis fœdantibus ora,
Dat singultatis talia verba sonis.

Nec mea te pietas : nec te clementia : nec jus
Improbe , in officio continuere pio ?
Hoccine pro meritis tantis ingrate rependis ?
Vt cupias nostram commaculare domum ?
Proh dolor : infandum facinus , scelerataq; facta
Vidi ego : nil ultra dissimulare potes.
Contra hæc Guiscardus : majus Tancrede Cupido
Possidet imperium , plusque vigoris habet
Quam tu: quā leges: quā fas: quā nostra voluntas?
Is jussit : contra quis queat ire Deos ?
Gismunda interea tantarum nescia rerum
Inter virgineos stat speciosa choros.
Ecce pater lachrymans turbato pectore natam
Se vocat , & soli talia solus ait :
Cum tua nata mihi virtus probitasque fuisset
Cognita , cum mores ingeniumque pium :
Credere te quivi nunquam committere tantum
Posse nefas , quantum his vidi ego luminibus,
Tune pudicitiam potuisti prodere sanctam ?
Et stupro corpus prostituisse tuum ?
Te propter misera est atque ærumnosa senectus
Nunc mea: te propter nunc mihi vita gravis.
Quid si incesta tuo flagrabat corde libido :
Nec poteras casto vivere casta thoro :
Saltem patricius : saltem generosus amator
Ille foret , cui te prostituisse cupis.
Hoc est quod doleo : quod cor mihi vellicat hoc est :
Quid tibi Guiscardus perfidus ille placet.
Pauper : vilis : inops : humili de sanguine natus.
Qui matrem ignorat sordidus atque patrem.
Qui mihi mox meritas persolvet sanguine pœnas,
Collaque carnifici qui jugulanda dabit.
De te quid statuam , dubia est sententia : nutat
Mens mea : & à tantis fluctuat icta malis.
Hinc amor & pietas iram cohibere paterna
Me monet : hinc stimulat me tua nequitia :

Illa

Illa jubet veniam tibi me indulgere: sed ista
Vt præter genium sim truculentus atrox.
Exitus in dubio est: tu nunc exprome quid ipsa
In te decernas improba: scire velim.
Talibus exarsit magno perculsa dolore
Gismunda. & lachrymas vix cohibere potest.
Mox animosa, viro similis, lamenta recusat
Fœmina, quæ vitæ prodiga: certa necis:
Hæc patri responsa dedit: non deprecor; ipsa
Nec ego, quæ quereris me meruisse pater.
Altera res quoniam mihi nil prodesse valeret:
Altera ne prosit, nec juvet ipsa volo.
Non ego nunc verbis animum mulcere benignis
Quæro tuum: veniam nec petitura rogo.
Guiscardum fateor gracilem non rustica amavi:
Et dum luce fruar, nomen amabo pium.
Quid si morte carent animæ: si manibus ullus
Sensus inest: hujus grata erat umbra mihi.
At non ut jactas, mihi tam furiosa libido,
Quam tua segnities suasit amoris opus.
Debebas genitor calidā meminisse juventæ,
Quantaque fœmineo pectore flamma calet.
Cernere debueras quod sum tibi filia mollis:
Quod non ex ferro nata, neque ex silice.
Non tantam ardet apex æthneus: flagrat Olympus
Nec tantum: quantum cor juvenile calet.
Quanque puellares genuino ardore medullæ
Flagrant, quas luxus delitiæque fovent.
Non potui sterilis florem fructumque juventæ
Perdere, vestalis non ego virgo fui.
Olim experta virum, & Veneris dulcissima dona.
Non queo mellitos non meminisse jocos.
Quid facerem? juvenis, dives, formosa puella?
Id facio, quod vel Penelopea probet.
Atria complures proceres pater ampla frequētant,
Ingentes quorum conspiciuntur opes;

Ex illis fateor, placuit mihi nullius amator;
Nullus Guiscardo est visus amabilior.
De quo conquereris, de quo gemis; est quia pauper:
Et quia majorum stemmata nulla colit:
Nemo est (crede mihi genitor) laudandus ab illis
Quæ sunt fortunæ munera fluxa bonis.
Veraque nobilitas non est in stemmate longo:
Non in cœnosis est sita imaginibus.
Vna est cunctorum prima & genialis origo:
Omnibus est genitor Iupiter, estque deus.
Sola facit virtus generosum: sola beatum:
Sola potest mentes demeruisse probas.
Hæc in Guiscardo tam pura & clara refulget,
Vt fulget cœlo Cynthia sydereo.
Hunc ego dilexi: quod si pater optime, turpis
Hic tibi & infamis esse videtur amor,
Tu certe in causa: namque hunc te semper amasti,
Qui tibi charus erat, non mihi charus erit?
Est & erit charus: quod si vestigia patris
Nata sequor, debes ipse probare pater.
Guiscardus placuit: qui nobilis & generosus
Virtute effectus conspicuusque viget.
Est pauper, fateor: sed spectat dedecus ad te,
Egregio qui des præmia nulla viro.
Verum nobilitas non paupertate fugatur:
Fortunæ virtus succubuisse nequit.
Multi nunc regno clari sceptroque potentes,
Olim pauperiem sustinuere gravem.
Contra mendicat vestem, victumque precatur,
Qui quondam magno floruit imperio.
His fortuna vices præstat: nosque admonet, ut quæ
Permutant dominum despiciantur opes.
At quod in extremo nondum decresse fateris
De me quid statuas, ambiguusque manes:
Illud tolle precor: nam si Guiscardus ad orcum
Mittitur, atque tuo concidit ense miser,

Subse-

Subsequar ipsa comes: nam sors quæcunq; misellũ,
Me quoque sæva manet: mors trahet una duos.
I nunc, fœmineo lachrymas effundere ritu,
Perge: unoque ambos vulnere dede neci,
Talia commemorans animo Gismunda virili,
Reddidit attonitum sollicitumque patrem.
Qui cuncta expendens, tandem sic destinat: ut det
Guiscardus meritum crimine supplicium.
Accirique jubens fidum notumque ministrum,
Imperat ut jugulet nocte silente virum.
Iussa facit propere servus: qui corda revellens
Ad dominum defert sanguinolenta trucem.
Hoc cor Tancredus fulvo componit in auro:
Et mittit natæ dona nefanda ferus.
Admonet & servum: verbis ut munus adornet:
Hæcque suo ad natam nomine jussa ferat:
Hæc tibi dona parens mittit: cape gaudia sunt hæc
Illa nimis cordi munera grata tuo.
Gaudia nam simili genitori sorte rependis:
Qui potuit bis te sospite posse mori.
Postquam Guiscardi cor lamentabile novit.
Gismunda, ad famulum versa, dolenter ait.
Non aliter mitti meruit tam nobile munus:
Cordi conveniunt aurea busta pio.
Hoc solum facies ô genitor, quod filia laudet,
Hoc propter grates nunc tibi tristis ago.
Iamq; vale: extremũ hoc tibi jã moritura relinquo:
Mox pateræ incumbens, talia sola refert.
O dulce hospitium, & Gismundæ sola voluptas,
Dulcius ô cunctis cor mihi divitiis.
Dispereat qui causa fuit: qui jussit ocellis
Invitis, ut te cogerer aspicere.
Debuit esse satis, quod cor te corde videbam:
Quodque tuæ menti mens mea juncta fuit.
Vixisti: & cursum tibi, quem fortuna paravit,
Explesti, exutis sollicitudinibus:

Iamque

Iamque tenes metas, ad quas festina brevisque
Vita hominum properat quadrupedante gradu.
Fulvum Tancredus pater & regale sepulchrum,
Iure dedit: virtus hoc tua digna fuit.
Nil præter lachrymas nostras, præterque querelas,
Heu cor dulce, tuus defuit exequiis.
Non tamen his lachrymis (sic dii voluere) carebis:
Quas ego persolvam nunc tibi vita pias.
Post hæc efficiam languens ut spiritus isthinc
Egrediens, umbræ sit comes usque tuæ.
Te duce lustrabo loca plena silentibus umbris:
Te duce per campos ibimus Elysios.
Haud equidē dubito, quin tu quoq; nostra pererres
Tecta, & apud manes officiosus ames. (plet,
Dixerat: & lachrymis pateram manantibus im-
Quæ velut effusæ præcipitantur aquæ.
Oscula dat cordi: gemebundaque lumina cordi
Insigens largis fletibus ora rigat.
Mox siccata genas atque exaturata dolore
Iam tremebunda suæ conscia mortis ait.
Exolui officium, quod amor pietasque requirit
Nostra parentales struximus inferias.
Dixit: & exprompto quod fecerat ipsa veneno,
Ebibit impavide pocula mortifera.
Conscenditque thorum manibus cratera retentans:
Cordeque Guiscardi cor premit usque suo.
Mirantur famulæ ignaræ: pars fletibus ora
Commaculat: pavet hæc: illa stupore silet.
Ast ubi jam dominæ sensim morientia membra
Aspiciunt: properant: flentq; docentq; patrem.
Ille repente volat thalamumq; ingressus apertum
Iam vita natam deficiente videt.
Ingemit: & sero damnat sua facta: trucisque
Pœnitet incepti consiliique mali.
Tunc oculos moribunda levans Gismunda jacentes
Edidit extremos voce labante sonos.

Hu-

Hus serva genitor lachrymas ad tristia fata:
Non fatis nostris talia conveniunt:
Quis furor hic? defles tota quod mente petisti?
Defles quod factum est te faciente nefas?
Sed si ulla affectus remanet scintilla paterni:
Et si quid patriæ jam pietatis habes:
Te rogo sancte parens: extremū hoc munus amanti
Concede & natæ fac rata vota tuæ.
Nil quoniam in vita nobis commune dedisti;
Communi ut saltem contumelemur humo.
Sic ait; & cordi incumbens, dulcissima linquit
Lumina: tartareas mox subit umbra domos.
Regia tunc omnis lachrymis planctuque sonoro
Perstrepit: & tota est luctus in urbe frequens
Ante comes gemitu princeps Tancredus acerbo
Confectus, natæ se superesse dolet.
Post meritas lachrymas, & post lamenta sepulchris
Extruit, antiquæ nobilitatis opus.
Atque una amborum cineres componit in urna:
Ambobusque pias exhibet exequias.
Exitus hic ille est miserorum & finis amantum,
Quos amor ante diem misit in Elysium
Discite nunc juvenes: qui jam cæpistis amare:
Quot genitus præstet, quot mala, sævus amor.

Osculum Panthiæ omnium formosissimarum.

QValia lascivo dedit oscula sæpe tonanti
Dardanius Phrygia raptus ab arce puer:
Qualia formosæ Veneri dilectus Adonis:
Qualia pastori Tyndaris Iliaco.
Qualia Tænarides tribuit puer oscula Phœbe:
Amphitryoniadæ qualia pulcher Hylas:
Qualia purpureæ quæ conspicit omnia lunæ:
Latmius in somnis contulit Endymion:

Talia

Talia mille dedit roseas mihi basia labris
Panthia: fervoris prima favilla mei.
Quantus odor; quantum divini nectaris illis;
Quantus mellis inest, Ambrosiæque liquor:
Cinnama quod spirant: quod olet cinirej a myrrha:
Et quod odorus Arabs Coriciumque Crocum:
Succina quod fragrant manibus tractata: quod omne
Vnguentum: & fracto fusa falerna cado:
Balsama quod spirant: redolent quod florea rura:
Quod citrum & Violæ purpureæque rosæ:
Hoc redolent dominæ dulcissima basia nostræ:
Hoc os formosum labraque purpurea.
O me fœlicem: cui tu pharetrate Cupido,
Et Citheræa Venus tot tribuistis opes.
Non ego fortunas Crœsi, Pithiique Bithyni
Expeto, non gazas divitiasque Mydæ.
Ne mea formosis teneat foveatque lacertis
Panthia: rex regum tunc ego summus ero.
Me juvat, ut dominæ placeam, tolerare labores,
Ærumnasque graves, imperiumque ferox.
Me juvat æstivas sub Cancro ducere luces;
Ægocerique nives ire ad hyperboreas.
Obsequar ut dominæ, durum nil ferre recuso.
Si jubeat stygias nunc aditurus aquas:
Tantum forma valet; tanti est spectata venustas:
Et decor, & facies: & lepor atque sales.
Si redeant veteres facundo pectore vates:
Elysium vacuet si pia turba nemus:
Si Maro nunc repetat superos: & culta Tibulli
Musa; & Nasonis: Pieriusque chorus:
Nemo satis queat eximiam laudare puellam,
Et decus & faciem corporis egregii.
Huic est forma potens, sunt æmula lumina stellis,
Lumina quæ possent sollicitare Deos.
Procerum corpus dominæ est, teretesque lacerti;
Est formosa manus, articulique leves.

Pes

Tes parvus, fulvæque comæ, facundaque lingua:
Sunt modici risus, atticus estque lepos.
Hæc candore nives vincit, superatque rosarum
Fulgorem: in toto corpore nulla nota est.
Quicquid agit, sive incedit, sive accubat; aut stat
Aut sedet, exornat, subsequiturque decor.
Tota decens, urbana, sagax, est tota venusta,
Totaque nativo pulchra colore placet.
Non Cerusatis incedit candida buccis:
Nec fucata genas atque supercilia.
Esopa non spirat, Tharii nec stercora piscis.
Non creta, aut asinæ corpora lacte fovet:
Non oculos stibio linit, aut fuligine pingit.
Ah pereant, quibus hæc cura decoris inest.
Quid juvat extremo formam corrumpere luxu?
Atque peregrinis cultibus inficere?
Nonne Deus vobis faciem dedit: heu scelus, illam
Polluitis fuco, & læditis artificem.
Jupiter hinc in vos jaculatur fulmina, mittit
Excidium, pestes, fœmineumque malum.
Nostra Venus vivo prodit formosa colore,
Nativisque placet dotibus atque bonis.
Quantum inter flores amaranthi & lilia fulgent
Et violæ, & lothi, coccineæque rosæ:
Quantum inter stellas collucet luna minores:
Cinthia te quantum Cynthius exuperat:
Tantum inter pulchras radiat formosa puellas
Panthia: purpureis æmula syderibus.
Cedat Peligni celebrata Corinna poëtæ:
Cinthia cum Nemesi culte Tibulle tua.
Lesbiaque assurgat dominæ, Ticidæque per illa,
Et tui jam Gallo dicta Lycori tuo.
Dissimulet faciem Lais Epireja: cujus
Traxerat attonitos forma superba viros.
Forma Menandreæ fuerat, nec Thaidos olim
Tanta: nec est Phrynes tam decor egregius.

Sordi-

Sordida Penelope: turpis Virginia: turpis
Est collata tibi Panthia, Sulpitia.
Cedat Darei conjunx, Cornelia Magni.
Hippodame: & comptis Laodomia comis.
Cedat & Abradate consors tibi Panthia: cujus
Ipsa geris nomen nomine fictitio.
Si Paris hanc Phrygius phrygia spectasset ab Ida
Non peteret portus Tyndari pulchra tuos,
Iupiter hanc videat subito descendet olympo.
Fiet olor: Satyrus, Taurus & Amphitrion.
Dia Camilla minor, minor est Lucretia: & omnes
Italides matres: Cecropiaeque nurus.
Stratenicae Antiochi dispar, Poppeja Neronis:
Lamia Demetrii, candida Thargelia.
Cedite jam divae: Tritonia, Iuno, Dione.
Quas Paris Idaeis viderat ante jugis.
Quid majora loquar? te Penthesilea probabit
Et colet, heu nomen dulcius ambrosia.
Panthia formosis formosior heroinis
Digna soror Phoebo, conjuge digna Iove est.
Digna quidem coelo facies, jamque incipit esse
Cognita & Eois cognita & hesperiis.
Hanc ego viventem vivus, defunctus amabo
Hanc quoque defunctam: sic jubet alma Venus.
O decus, ô facies, ô Cypride digna parente:
O & Germanis digna cupidinibus:
Panthia di tibi dent tercentum Nestoris annos:
Secula Titoni, perpetuumque decus.
Oscula felicem dudum & fecere beatum
Me tua, si dederis caetera, divus ero.
Interea ardentem quaeso misereare Philippum:
Si tibi cura mei, ne cape mancipium.

Carmen

Carmen Amatorium.

Conſcia curarum, & fidi internuncia cordis,
Quæ dominæ longa junčta es amicitia
Daphne, de nobis loquitur quid Panthia tecum?
Deque ſuo ſentit dic rogo mancipio?
Eſtne oblita mei? nulloque accenditur æſtu:
Mutuus an pulchro pečtore vivit amor:
O utinam vivas, parilique calore caleſcas
Panthia, ſitque tuis oſſibus ignis edax.
Quantū Æthnei ignes, veſuvina incendia quantū
Et Liparæus ager flagrat & Eolius:
Tantum noſtra tuo flagrant præcordia amore:
Ardet mens, animus totus, & ingenium,
Nunc ſcio quid ſit amor, nunc arcus, tela ſagittas
Sentio flagrantes experiorque faces.
Nunc te cæleſtis, nunc te plebeje Cupido
Noſcimus, & quantum pollet uterque Deus.
Dogmata divini memorant ſe vera Platonis,
Sunt geminæ veneres, eſt geminatus amor.
Cæleſtis Venus eſt nulla generata parente
Quæ caſto ſančtos nečtit amore viros.
Huic comes eſt magnus Deus, ambroſiusq; Cupido
Quem dočti norunt egregiique mares:
Altera ſed Venus eſt totum vulgata per orbem
Quæ divum mentes alligat atque hominum:
Improba ſedučtrix, petulans, laſciva, proterva,
Blandiloqua, illudens, Imperioſa procax.
Hæc & ceſton habet, qui nodus diſcolor omnes
Blanditias geſtat, pharmaca, nequitias.
Hanc comitatur amor, facibus qui pečtora ſævis
Vrit, & infernis imperat & ſuperis.
Subdolus, impoſtor, mendax, truculentus & aſper
Blanditiis pollens, fraudibus atque dolis.
Hic domitat pecudes, piſcis inſečta, feraſque
Monticolas Faunos Sylvicolaſque Deos.

Hic

Hic mortale genus pharetra succinctus & arcu,
Et face debellat cœlicolasque Deos.
Pocula dat dulci circumlita melle: sed intus
Fel gerit, & longam fundit amariciem:
Principio juvat, & mentes demulcet amantum,
Mox ferus exagitat despoliatque rapax.
Divitias lacerat, cum damno dedecus affert,
Emollit mentes ludificatque ferox.
Distrahit, examinat, cruciat, versatque rotatque,
Carnificisque truci fungitur officio.
Improbe amor quantis mortalia corda fatigas
Curis, & quantis sæve cupidinibus.
Perfide quot juvenes jugulasti? quotque puellas?
Quot tua præcipitant spicula & insidiæ?
Testis Abydenus juvenis, tibi quem rapit orcus
Hellespontiaco Sesta puella mari.
Testis Priamides, qui dum Spartana petebat
Connubia evertit seque suumque genus.
Testis Tarquinius: cui dat Lucretia raptos
Per vim concubitus, imperiumque rapit.
Iphis Anaxareten dum non tolerare superbam
Sustinet, infœlix à trabe pendet onus.
Non pudet Alciden gestare monilia collo:
Lydiaque ingenti ducere pensa manu.
Vertitur in fontem Biblis Phœbeja, Cauni
Dum petit amplexus fratris & ille fugit.
Myrrha quoque infando correpta cupidine Stacten
Sudat odoratam, delitiasque parit.
Lesbia quinetiam perculsa Cupidinis œstro
Sappho de celsa Leucade membra dedit.
Cœlicolis risus Mars & Cytherea fuerunt:
Mulciberis vincli retibus atque dolis.
Quid memorem ærumnas hominũ, cladesq; deorum,
Quos tua percussit dire Cupido manus?
Ipse Panonphæus quoties fit fabula turpis
Jupiter: & solio labitur æthereo?

Vt tua

Vt tua sectetur dictata: nec ire recusat
  Subjuga & imperium ferre cupidineum.
Taurus in Europa est, Satyrus Nycteide, cygnus
  In Læda, Alcmenen comprimit Amphitrium.
Ergo ego cum videam superos ipsumque tonantem
  Ire sub imperium, servitiumque pati:
Non gemo, non doleo, de me pharetrate Cupido
  Si figis castris lauta trophæa tuis,
Cuncta feram, patiarque libens: jam signa tubasq;
  Incipioque artes nosse cupidineas.
Omnia jam novi, docuit stratagemata & astus
  Sævus amor, non sum tyro, sed emeritus.
Me lachrymæ & longi doctum fecere labores
  Perpetua anxietas, excubiæquè graves.
Panthia me docuit qui sint in amore dolores.
  Affectus: curæ gaudia: damna: doli,
Nunc scio quas leges: quæ jura: aut dogmata sævus
  Iussit amor: scripsi singula & edidici.
Quæ spes: quive timor: quod bellũ: fœdera: quæ pax.
  Induciæ fiant atque inimicitiæ.
Nunc scio quanta gerat secũ mens prælia amantũ,
  Quantaque mobilitas diffidiumque premat,
Hoc velit: hoc nolit: cupiat quod spreverat ante:
  Fluctuet ut glauci fluctuat unda sali.
Vt mens infelix alieno in corpore vivat:
  Vtque animus dominæ migret in hospitium.
Nunc scio quam largi sunt fletus: utque medullis
  Ossibus & venis fervida flamma latet.
Vt sine febre dolet: sine morbo languet amator:
  Vt somni vigiles: irrequieta quies:
Vt rubet, ut pallet subito, mutatque colores
  Sive pudor vexet pectora, sive timor.
Nunc scio ut infracta voces, mutilataque verba:
  Vt coram domina cor salit atque tremit:
Vt quam longa gravi suspiria corde trahuntur;
  Vt medicus risus: multis amaror inest.

Vt gau-

Vt gaudet læta, plorat plorante puella:
Induit & vultus vultibus alterius.
Nunc scio ut infelix dominæ vestigia quærit:
Et reperisse timet: mobilitate levis:
Genua labant, quoties fastosæ limen amicæ
Transit: & in toto corpore membra tremunt.
Nunc scio quãtus amor supra caput instet amantũ
Atque omnem sophiam consiliumque fuget.
Condita quam parvo sint larga absinthia melle:
Lurida vel quantum pocula fellis habent.
Malo ego lerneæ immedicabile virus echidnæ
Oraque Avernalis terna subire canis:
Cum Libyco nudas monstro exercere palæstras
Ærumnasque graves herculeasque pati:
Quam colluctari tecum pharetrate Cupido
Et perferre tuas imperiose faces.
Nunquam liber erit, nunquam mihi crede beatus,
Aut probus, aut prudens quisquis amator erit.
Vita ærumnosa est, mors est infamis amantum.
O fœlix quisquis talia non pateris.
O fœlix veneri medium qui porrigis unguem,
Et rides arcus, Spicula, tela, faces,
Ast ego, quem sic dii voluerunt vivere, vivam
Emoriarque tuum Panthia Mancipium.

Philippi Beroaldi Diræ in maledicam Lenam.

Est quædam deformis anus, maculosaq; lingua
Garrula, latratrix, perfidiosa, procax.
Livida, detractrix, mordax, quæ dente canino
Oreque vipereo nigra venena vomit.
Inficit os livor, sordent rubigine dentes,
Sunt oculi torvi, cordaque felle virent.
Nomen habet Lenæ quod sic est moribus aptum
Vt sunt apta fero bellica tela Deo.

Hanc

Hanc fugiunt omnes, pavet hanc vicinia tota:
Vt pavet aspectum cominus agna lupum.
Hæc facere invisos genitori perfida natos,
Hæc fratres posset dissociare pios.
Hæc si fœcundum concusserit improba pectus,
Fuderit & virus vipera lethiferum:
Nulla fides nec pax, nulla est concordia, nec jus:
Nullus amor veteres inter amicitias:
Oderit Æacidem Patroclus, Castora pollux:
Ogygiden Tydeus, Thesea Tirithous:
Nec Pythiam Damon, Pyladem nec amabit Orestes
Nec Siculi fratres pectora fida gerent.
Fraudum mille modos, artes quoque mille nocendi
Hæc habet, & linguam vibrat in excidium.
Sibilat, & nostros tentat disrumpere amores:
Vt quæ dicta mea est, non velit esse mea.
Vellicat hæc, furtimque odii glisentia spargit
Semina: flagrantes atque inimicitias.
An tu de nobis audes maledicere? tune
Vipera connexos dissociare duos?
Garrula tune feris virus? linguamq; procacem
Exeris? & pacem rumpere sæva paras?
Nulla fuit nec erit tam magna potentia linguæ,
Vt sit amatori Panthia dura suo.
Malo inimicitias divum summique tonantis:
Quam mihi sit dominæ mens inimica meæ,
Quæ mihi divitiis, vita jucundior ipsa,
Charior est geminis quæ mihi luminibus.
Nullus amor tantus, nullus sic tela medullis
Flagrantesque faces sensit & incaluit.
Non sic Priamides Helenen dilexit, amicam
Mæoniam non sic Amphitrioniades.
Non sic Tindaridæ geminas Leucippidas ambo,
Nec venerem Mavors belliger æthheream.
Non Daphnen Phœbus, Cidippen Acontius ardet:
Non tanto Semeles æstuat igne tonans.

Misce

Misce & cunctorum quotquot narrantur amores:
Aut par, aut major noster is ardor erit.
Panthia si mihi sit contraria, perdite quæso
Me superi: & feriar fulmine fatifero.
Te sine nulla quies, nulla est mihi vita beata
Panthia: nec vinum, nec cibus ipse juvat.
Iupiter omnipotens flagranti percute telo
Vipeream linguam sacrilegumque caput.
Hoc ego summe pater, petit hoc vicinia tota;
Hoc pulchra ante alias Panthia nostra rogat.
Thure vaporabo phanum, cædamque bidentes:
Ornaboque tuas fronde virente fores,
Quin ego tunc, mecumque simul mea Panthia voti
Ambo rei, dabimus carmen & exta Iovi.
Quid tibi Lena precor pro talibus improba dictis:
Et pro funestis improba criminibus?
Terra neget victum, tibi deneget unda liquorem:
Æthere nec possis syderibusque frui.
Infestus tibi sit Vulcanus, noxius aër:
Offendant oculos Lunaque Solque tuos.
Dii faxint, subito percussa ut sydere lingua
Nec mussare velit, nec blaterare queat:
Dira fames & dira sitis tua viscera vexent:
Nullaque sit vini copia nulla cibi.
Sæpe roges mortem, nec mors tibi sæpe rogata
Adsit: sintque tibi secula nestorea:
Marcescasque situ putri: cariosaque membra
Curventur: nec nox: nec juvet ulla dies:
Sis quoque pallidior buxo: villosior ursa:
Nigrior & moris: aridiorque scobe.
Vt caret Oedipodes oculis & lucis honore:
Tu quoque sic careas vipera luminibus.
Nec tibi recta magis sint crura, pedesque decori,
Quam sunt Mulciberis tardipedisque Dei.
Guttur ut Erigones astricto fune pependit:
Sic tua per laqueos colla nefanda crepent.

Vt Niobe

Vt Niobe in saxum : ut Biblis vertaris in undã,
Par facies ursæ sit tua parrhasiæ.
Vt myrrhæ est cortex:utq; est phaetontias arbor:
Arboreas frondes sic tua membra ferant.
Olim ut Nyctimene facta est nocturna volucris:
Obscura sic tu noctua nocte voles.
Vt sensit Phœbi lethalia tela Coronis,
Sic te configant spicula lethifera. (stis
Te premat omne genus morborũ:& fervida pe-
Exurat corpus : dilanietque cutem.
Calculus, & vomicæ putres , turpesq; podagræ:
Et Cheiragra , & lateris cardiacusq; dolor :
Præterea omne genus tormenti : omnesq; dolores
Te miseram excrucient conficiantque truces.
O utinam vivens cunctòs patiare dolores
Quos omnis passa est fœmina: quosque feret.
Post obitum tibi sit tormentum vulturis atri:
Sisyphiusque labor : Tantaleusque liquor.
Te solam lacerent furiæ : rumpantque flagella ,
Et lassent crebris brachia verberibus.
Sola luas pœnas : umbræ manesque quiescant :
Excipe cunctorum vipera supplicium.
Quantũ cerva pavet fulvum trepidasq; leonem:
Accipitrem quantum blanda columba timet
Quantũ aquilã cygnus:congrũ murena: camelũ
Odit equus ; vitem brassica : capra lupum :
Quanta inter mures atque est discordia feles,
Quantum mus volucri diffidet ardeola,
Tantum mihi tecum est discordia vipera: tantũ
Est odium , atque truces sunt inimicitiæ :
Donec pugnabunt cãlidis frigentia : siccis
Humida : cum duris mollia : & ignis aquis,
Donec erit stabilis tellus: & mobilis unda
Errabitque polo Cynthia stellifero :
Dum velox Tygris : segnis testudo : salaces
Erucæ : pontus cærulus : albus olor :

Dum lepus hirsutus: fulvus leo: lubricus anguis
Curui delphines: asper echinus erit:
Tecum bella geram & certamina dira: nec iras
Finiet interitus nec mihi longa dies.
Post obitum manes pugnabunt manibus: umbrā
Impetet umbra minax conficietque tuam.
Sic nunquā viva & nunquā defuncta quiesces:
Vivus ero infensus: mortuus asper ero.
Dii, justas audite preces: rata vota precantis
Efficite: hanc meritis plectite suppliciis.
Eveniet: mihi signa Deus dat certa: valeto
Vipera: jam diras experiare meas.
Cumque tuum steterit fossa tellure cadaver:
Id lacerent volucres: diripiantque feræ.
Intestina canes: omentum & viscera corvi
Discerpant: rapidæ cætera membra lupæ.
Cumque minutatim fueris concisa: locutrix
Vulturis inprimis sit tua lingua cibus.

QUÆSTIO

Quis inter Scortatorem, Aleatorem, & Ebriosum sit pessimus:

Explicata à Philippo Beroaldo,

Argumentum.

PAter qui tres filios habebat, unum Scortatorem : alterum Aleatorem : tertium Ebriosum : moriens in testamento, ita scripsit. Ex filiis, cæteris turpior vitiosiorque exhæres esto. Post mortem patris contendunt fratres, quisnam exhæredatus esse dicatur. Res agitur apud Iudices per quandam quasi anticategoriam, hoc est, mutuam accusationem : quidam concertativam nuncupant. In plerisque controversiis prisci declamatores uti consueverunt persona advocati, propter aliquam ipsius, qui causam dicit, deformitatem & vitii turpitudinem. Hic quanquam personæ fratrum inhonestæ sint & turpes, ut illis pro se loqui nefas esse debuerit : ego tamen existimavi, totam causam planius expli-

cari,& vehementius agi posse, si ipsi semet mutuis criminationibus pulsarent, quam si per advocatum res ageretur. Primas partes Ebrioso dedi: ut contra duos unus dicat: ut mox unus à duobus retaxetur. Conditio hujusce causæ illa est: ut pro sua quisque salute sollicitus, nihil de proximo cogitet. Lector attende: Lætaberis.

Ebriosus contra Scortatorem & Aleatorem.

NOn ignoro, Iudices, quanto onere causa nostrá prematur ex hoc parentis elogio: propter quod fit, ut sordes nostræ invulgentur, ut proba nostra in patulo conspiciantur; & quod maxime cavendum fuerat, ut accusatione mutua frater invehi cogatur in fratres. Sed qui semel labe vitiositatis infectus, sequestrato pudore, frontem perfricuit, qui famæ contemptor est, non tam infamiam veretur, quam famem timet. Creditque proverbio græco clamanti miserrimum esse fame mori: & quod parasitus ille Plautinus dixit, putat esse verissimum; miserrimus est, qui cum esse cupit, quod edat, non habet. Proinde judices, ne ego esurione tabescam: si exhæredatus à patre sententia vestra pronunciar: ne inter mendicos sedens, manum ad stipem

pem porrigere cogar, agam hodierno die causam meam adversus duos fratres, & potentissimis argumentis demonstrabo, vel alterutrum, vel utrumque nimirum esse, quem pater exhæredatum esse voluerit. Quamvis mihi satis superque esse debuisset, ad exhæredationem effugiendam, vos edocuisse, alterum ex fratribus esse, quam me sordidiorem perditioremque. Verum ut res magis colliquescat, separatim atque divisim utrumque incessere mihi in animo est, ut post explicatas unius sordes, alterius quoque maculosam vitam infectanter invadam. Quanquam non me præterit; quam sanctum sit nomen fraternitatis: quam arcta fratrum conjunctio: quam frater diligendus, utpote quasi fere alter dictus. Sed mihi non tam fraternitas hoc tempore colenda est, quam non mendicitas cavenda. Verum est profecto illud verbum vetus; omnes sibi melius esse malle quam alteri: quisque sibi proximus est; & tunica pallio propior. Cæterum ne longiore quam par sit exordio, vos morer, jam controversiam ipsam ex testamento paterno derivatam quæso dispicite. Iubet pater, eum ex nobis exhæredatum esse, qui cæteris sit vitiosior: quis non intelligit? quis non videt? sive

verba, ſive voluntatem ſcriptoris intueri libeat. Scortatorem deſignari, quo vitioſior nullus exiſtit? Teſtamentum potentiſſimum eſt. Vltima defuncti voluntas rata eſſe debet: hæc vobis ſpectanda eſt, ad hanc perinde ac ſcopum ſententia veſtra dirigenda. Ait pater, cæteris vitioſior ex filiis exhæres eſto. Scio me bibacem eſſe, & vini cupidiſſimum: ſed hoc ſi vitium eſt, longe profecto minus eſt, quam fraterna ſcortatio, labeſque meretricaria. Nam ut prius cum amatore meretricis agam, quid poteſt fœdius eſſe: quid vitioſius? quam amore meretriculæ turpiſſimo torqueri & inſanire inter ſcorta non tam degere quam deliteſcere? Vbi patrimonii famæque diſpendium fiat? ubi ex libero ſervus evadas? ſiſque ſervituti indigniſſimæ mancipatus? omnis ſervitus homini ingenuo & liberaliter educato intolleranda eſt: ille vero ultroneam ſubiit ſervitutem, & eam quidem indigniſſimam, qui meretricariis pedicis implicatur, cui mulier imperat: cui leges imponit, præſcribit, jubet, qui nihil imperanti negare poteſt: nihil audet recuſare. Poſcit, dandum eſt, vocat veniendum: ejicit abeundum, minatur extimeſcendum. Duo ante omnia ſunt, quæ mortales magni

gni pendunt fama, & opes. Quid enim per Deos immortales, mortalibus contingere poteſt illuſtrius quam nominis ſplendor, quam fama, quam gloria? Cujus cauſa tot ærumnæ, tot ſudores, tot vigiliæ, ultro ſubeuntur ac tolerantur: ut non immerito cecinerit Valerius Flaccus: *Tu ſola animos mentemque peruris gloria.* Vt veriſſimum ſit illud Solomonis: Melius eſt nomen bonum quam divitiæ multæ. Præterea quid utilius, quid dulcius, quid beatius, quam opulentum patrimonium, quam divitiæ luculentæ? Quarum cauſa impiger extremos currit mercator ad Indos: propter quas vita mortalium facta eſt laborioſa & inquieta. Sunt plerique, qui mortē priorem quam egeſtatem putant: quibus intolerabilis videatur nuda illa vita, & omnibus quibuſcunq; abundaverint deſtituta. Apud Nabatheos, qui opes imminuit, publice mulctatur: qui auget, honore afficitur: quas tam Græci quam Barbari, cum tertium locum bonorum tenere debent, primo tamen in loco collocant: ut auctor eſt Plato. Atqui utriuſque hujuſce boni jacturam facit meretricarius. Namque amationes meretriciæ grande ferunt una cum damno, dedecus: infamiam afferunt: opes auferunt. Male

consulit & rei & famæ mulierarius amator; quibus homini detractis, nihil plane illo despectius, nihil notatius. Itaque amator despectissimus notatissimusque est habendus, qui scorto honestum officium postponens, qui ingurgustio delitescens, assiduis pulsatur infamiis, patrimonii decoctor: mendicitatis infamissimæ coagulum. Bonam deperdere famam. Rem patris oblimare malum est ubicunque, ut inquit Satyrographus: Amator, ut Plautinus servus festiviter narrat, bona sua pro stercore habet, foras jubet ferri domi quicquid habet; perdit quandoquidem ipse perditus est. Meretrices ut dicuntur, ita profecto sunt procaces: nullus est finis poscendi, nullus dandi: ut amatoris libido rediviva resurgit, estque inexplicabilis: sic meretricis est inexaturabilis procacitas. Et cum heri aliquid dederis; hodie quoque aliud dandum est. Et cum scorti precium unus sit panis, si Solomoni credimus, argentariam salutem ab Amasio quotidianam deposcit, exenteratque quotidianis ictibus marsupium. Meretrix tantisper blanditur, dum illud, quod rapiat, videt. Amator quam diu habet, quod det,

det, tam diu illi arrident ædes meretriciæ, & patent fores. Ybi despoliatus inopia argentaria laborat, foras extruditur. Nonne comœdia humanæ vitæ speculum est? Atqui apud Comicos Poëtas tota est meretricarii amoris insectatio. Adolescentes in scortis male audiunt: patres, filios turpi amore meretricis avocare; abducere, avellere, omnibus viribus nervisque contendunt: ut id nobis documento sit, vitandas esse meretricum illecebras, fugitandas suaviationes poscinummias. Quarum vafricias: laqueos: illicia: blanditiasque viscatas enumerare quis possit? In mercatore Plautinus pater Charinum filium visco muliebri implicatissimum, castigatione clamosa & objurgatorio sono ad bonam frugem revocare contendit: tanquam nihil peræque dispendiosum rei & moribus ac amor. In truculento servus, meretricem ego (inquit) item esse reor, mare ut est: quod des, devorat, nunquam abundat: In Asinaria ait adolescens despoliatus & exclusus, mare non est mare; vos estis mare acerrimum. In Cistellaria: meretrix fortunati est oppidi similis, non potest suam rem obtinere sola sine multis viris. In Sticho: qui potest mulieres vitare, vi-
 tet.

tet. Apud declamatores inducuntur patres, qui elogio testantur, exhæredatos à se filios, propterea quod meretrices amaverint. In decalogo legis, dominica præcepta decem Dei digito scripta continentur, quibus recte vivendi formula præscribitur: homines ad sanctitudinem instituuntur: inter quæ illud est memoratissimum: Non mœchaberis. Quo verbo non solum interdicitur nobis adulterium cum alienis uxoribus, sed & omnis fornicatio: quippe in canonicis scripturis, ut docet Divus Augustinus: & in Decretis 32. q. 4. proditum est: Nomine mœchiæ omnis fornicatio, omnisque illicitus concubitus significatur. Si quæ à pontificibus decreta sunt, servari debent: quanto magis, quæ à Deo? Tu qui scortator & meretricii amplexus affectator es, nonne vides te facere contra divinum interdictum? Sed qui præcepit non mœchandum: Idem in eodem decalogo haud quaquam præcepit non bibendum: Ad hæc amor formæ rationis oblivio est, insaniæ proximus: Turbat consilia: altos & generosos spiritus frangit: à magnis cogitationibus ad humillimas retrahit. Querulos, iracundos, temerarios, dure imperiosos: serviliter blandos, omnibus inutiles ipsi novissime

ſime amori facit. Nam cum fruendi cupiditate inſatiabili flagrat, plura tempora ſuſpicionibus, lachrymis, conqueſtionibus perdit; odium ſui facit, & ipſe noviſſime odium eſt: Hæc luculenta Divi Hieronymi peroratio, quem non meretricariorum atque amatorum rubore ſuffundat? Quis Amaſius talia audiens, non repente ſe damnet, veluti fœda vitioſitate maculoſum? Quis Venereus miles non hec in ſemetipſo recognoſcens ingemiſcat? namque amorem amatoremque cuncta hæc vitia ſectari ſolent. Cura, ægritudo; inſomnia, ærumna, inepta ſtultitia & temeritas, incogitantia, cupiditas, petulantia, aviditas, deſidia, contumelia, & diſpendium. Amor carnificinam commentus eſt: amor amara dat: mores hominum moros & moroſos facit. Amatoris animus clavo cupidinis fixus apud ædes meretricias retinetur, vivitque in alieno corpore: Adeo ut Plautinum illud dicere meritiſſimo poſſit: Vbi ſum, ibi non ſum, ubi non ſum, ibi eſt animus. Quid, nonne in vulgari maledicto convitioque quotidiano eſt nomen Scortatoris? nonne in confeſſo eſt, amorem furorem eſſe & meretrices famoſas? Sectari autem rem furibundam nonne furere eſt? Sectari rem infamam,

nonne infamiæ proximum atque confine? Ad hæc amator sæpe crudeli feritate grassatur ac furit, ob rivalitatis suspitionem. Meretricum enim non est uni servire amantum: sed fovere complures: Et ex multiplicibus racemis sibi facere vindemiam. Hinc bella: injuriæ: suspitiones in militia amatoria: hinc Marius hellade perculsa se præcipitat; hinc amator non solum miser & ærumnosus, verum etiam turpissimus criminosissimusque censetur. Quanto me magis judices excutio, tanto plura succurrunt ad taxandam meretricarii fratris fœditatem. Et in primis illud Apostoli Pauli, qui evidenter ostendit, vitium fornicationis inter reliqua esse spurcissimum, qui Corinthios instituens ita proclamat. Fugite fornicationem: omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. Adde, quod qui cupit bibere, non erubescit id palam profiteri, & manum in propatulo porrigere ad poculum; qui vero desiderio rei Venereæ detinetur, furtim id agit & clanculum, cum cupiditatis erubescendæ depudescat. Non credis id mihi? Audi nobilissimum philosophum Aristotelem, in Problematis

ita

ita disquirentem. Cur homines rem agere Veneream cupientes, confiteri se id cupere maxime pudet, bibendi autem aut edendi desiderio cum teneantur, confiteri non pudet? Possem infinita prope congerere: sed adhibendus est modus, quem in rebus utilissimum perhibent. Igitur ô frater, cum in scortis male audias, scito hoc esse omni probro probrosius, omni turpitudine turpius, in tantum ut nullus ignoret, scortari & in meretricario cœnobio se & sua nequiter profligare, id dici & esse postremissimum vitiorum, quod nec ipse opinor frater inficiaris; cum improborum mos sit, improbitatem occulere, sed ex ipsa vitiositate gloriari. Verum hæc de scortatore meretricario dixisse satis superque sit, transeamus agedum ad aleatorem, quem non minus fœda vitii labe maculosum esse confirmo: adeo ut multa, quæ in illum dicta sunt, peræque retorqueri possint, & alia plæraque, quæ dum à nobis perpenduntur, quæso diligenter attendite.

Alea res damnosa est ac turpis: furtorum ac rapinæ conciliatrix, malarum cogitationum parens: hominis interioris carnificina: virtutum atque omnis honestæ meditationis expultrix: Irarum maledi-

ledictorumque in Deos hominesque suscitabulum: Cui qui mancipati sunt, semper angore torquentur: semper tristitudo illorum vultus innubilat: semper desperanter, semper furenter omnia agentes conspiciuntur. Nimirum id vitium est, quod scriptores omnes proscindunt: infamant: criminantur. Quod à legum conditoribus male mulctatur. Aristoteles inclitissimus philosophorum, quarto Ethicorum volumine Aleatores infamat, illiberales esse, & in sordido lucro versari scribens. Apud Iurisconsultos titulus est de Aleatoribus: quo animadversio constituitur in eos quoque qui ludere compellunt. Senatusconsultum vetus pecuniam ludere interdicit. Quinetiam M. Tullius auctor est, Lenticulam M. Antonii collusorem, lege de alea condemnatum; qui hominem nequissimum ob id vocat Antonium, quod in foro atque in propatulo alea luderet. Horatius quoque aleam legibus interdictam, tanquam rem improbam, ostendit illo versiculo: *Seu malis vetita legibus alea.*
Nonne inter Catulliana maledicta sunt Aleones quoque? (sic enim prisci aleatores nominabant.) Nonne consessum aleatorum in ludo talario turpissimum esse dixit Arpinas Orator? Nonne alea per-

pernox, nonne animosus aleator Satyrico dente perstringitur? Quisquis inventor aleæ extitisti (tecum enim mihi res est) non rem voluptuariam (ut vulgo dicitur) sed pestiferam ac detrimentosam, es commentus: quæ multos ad mendicitatem redactos, furaces, grassatores, sacrilegos fieri coëgit. Et quoniam non est nobis hæc oratio habenda apud imperitos Iudices, neque in conventu rustico, liberius paulo de studiis humanitatis ac literis interioribus disputabo: nec non ex secretariis Platonicis eruta invulgabo. Plato Philosophorum Deus, refert in Phædro, fuisse Dæmonem, nescio quem, ex vetustissimiis Diis Aegyptiorum, cui dicata sit Ibis, avis illa Aegypto peculiaris; non autem Ciconia (ut vulgo creditur) quæ rostri aduncitate per alvum sese perluens, Clysteris usum demonstrasse mortalibus proditur. Dæmonem autem hunc Theuth, sive Theutatem primum invenisse Geometriam: Astronomiam: Arithmeticam: & Literas: eundem talorum aleæque repertorem extitisse. Dignum ergo amplissimo præconio Theutatem judico Iudices, quatenus literas & disciplinas ingenuas invenit: quod vero talarium ludum aleamque primus ostenderit, fœda suggillatio-

latione notandum censeo? adeo ut mala bonis comparata, præponderent: nec minus vitiositatis sit in aleæ commento, quam bonitatis in literarum inventione. Herodotus græcus Livius, quem Marcus Tullius patrem historiæ nuncupat, auctor est, Lydos primos aleæ tesserarumque ludum, & cætera genera lusoria, præterquam talaria excogitasse. Cæterum sive Theuth, ut memorat Plato, sive Lydi, ut autumat Herodotus, invenere instrumenta lusoria, utrique medius fidius tradidere mortalibus inventum perniciosissimum. Cujus comites sunt fraus, perjurium, impostura, mendicitas:

Lusori cupido semper gravis exitus instat:
Sæpe gravis numis lusor venit: exit inanis.

Et ex mendicitate mala mens: malus animus: & consequenter ad scelera facinorosissima audenda proclivitas. Piget cōmemorare, quam multi hoc vitio teterrimo ad incitas egestatemque redacti, sibi & suis fuerunt dehonestamento. Quam multi, dum furtificas ob aleam manus habent, carnificis laqueo strangulati, mortem oppetiere ignominiosissimam? Ad hoc Aleatores publica pulsantur infamia. Et quia disserimus apud aures eruditas, eruditionisque sitientes, non erit absonum, si ab illa orandi lege rhetorica paulum

lum devius excurram excursione plausibili, idque ex declamatoria institutione & ritu. Inter cæteras nationes studiosissimi tesserariæ lusionis, Aleatoresque maximi Germani fuisse produntur, aleam inter seria exercentes, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut quum omnia defecerunt, extremo ac novissimo jactu de libertate ac de corpore contendant: victus voluntariam servitutem subibat, & quamvis junior, quamvis robustior foret, alligari se patiebatur, ac vendi. Ea erat (ut inquit Cor. Tacitus) in re parva pervicacia: ipsi fidem vocant: Insitum hodieque est Germanis studium aleæ animosioris, in qua fidem collusori servant, & pecuniam perditam, perinde ac mutuatam, victori cum fide repræsentant. Dirum prorsus illud est sydus natalium, quo progenerantur aleatores: quo homines fiunt rei parvæ ac calamitosæ mancipati. Quicunque in nona parte libræ habuerit horoscopum, is erit (si Firmico Materno credimus) aleator populari natione perspicuus. Vtinam possent è vita in totum abdicari, tollique tesseræ: chartulæ lusoriæ: sicuti jam pridem tali sublati sunt, & lusio talaria abdicata. Video plerosque omnes ex vobis contracta fronte mussantes, quod talos tala-

riumque ludum dixerim exoluiſſe. Nolite ob id admurmurare: vera locutus ſum Iudices: nullus eſt error in verbo, ſed vulgus errore promiſcuo implicatur, exiſtimans talos eſſe inſtrumenta luſoria, quibus quotidie paſſim luditur, quum teſſeræ illæ ſint nominandæ, non tali. Et uti totam rem planius noſcatis, ſcitote, talos fuiſſe quaternos in ludo talario, ex talis quadrupedum factos: qui poſterioribus tantum pedibus eſſe produntur Ariſtoteli, Plinio, cæteriſque Phyſicarum diſciplinarum conſultiſſimis. Græci Talos ἀστραγάλους vocant. Vnde & ἀστραγαλίζοντες dicti talis ludentes. In luſione talaria quatuor tali efficiunt jactum fœliciſſimum, quem Venereum nuncupant, & à Poëtis Venus vocitatur. In ludo vero teſſerario tres tantum teſſeræ ſunt: quæ ex ſex lateribus, æquali latitudine planiciarum quadratæ conſiunt: Græci Cubos appellant: quod & noſtri, ut Marcus Varro, Gellius, Macrobius, Vitruvius tradiderunt. Inde κυβευτὴς dictus aleator. Teſſarius ludus nunc ubique gentium, ubique locorum in uſu quotidiano frequentiſſimus eſt. Tres teſſeræ ſive cubi, quos taxillos docti indoctique falſo nominitant, in alveolum jaciuntur (ſic enim tabula aleatoria nuncupatur) quum talis

qua-

quatuor in ludo talario antiquitus uterentur. Hinc scite apud Epigrammatistam tesseræ numero talorum impares sese esse profitentur. Vtinam ergo (ut domum repetamus) utinam tessarius ludus, & omnis alea damnosa ac præceps, abdicari posset & tolli. Vtinam aleatores, quorum vita & ars ludus est, exterminari atque interdici: ne res, quæ voluptatis causa (ut ajunt) reperta est, in mœstitudinem, luctum, egestatem, mortales impingere posset. Dic quæso aleator non erubescis? vel si erubescere non nosti, nonne pallescis? nonne ingemiscis? quoties audis, te aleatorem nomine probrosissimo vocitari? quoties digito prætereuntium ob insigne vitium demonstraris? Equidem malo vinolentus dici, quam scortator: malo illo liquore mulceri, qui lætificat Deos & homines: sine quo lætitia in conviviis esse non potest. Vnde & lætitiæ Bacchus dator, à celeberrimis authoribus dictus. Quod si vitium est (ut isti volunt) profecto est ignoscibile, neque ullis legibus interdictum. Quinimo Platonicæ leges, quibus nullæ sanctiores, vinolentiam & pocula largiora permittunt, perinde ac fomitem quendam ingenii, virtutisque incitabulum. Asclepiades nobilissimus medicorum, vini utilitatem æquari vix

Deo-

Deorum potentia esse pronunciavit. Vinum eloquentes facit; & ut inquit Horatius Flaccus:

Fœcundi calices quem non fecere disertum? Cui subscribit Poëta alter lepidissimus, scribens: *Possum nil ego sobrius: bibenti succurrunt mihi quindecim Poëtæ.* Et quum alea atque fornicatio plenæ sint anxietudinis & curæ, contra vinum tristitiam discutit: & nebulas humani animi serenat: estque remedium curarum, quæ anxiferæ sunt & edaces, præsentissimum: quod Lyricus Poëta commodissimo epitheto dixit obliviosum: Vitam beatam nulla res alia magis efficit, quam animi securitas mentisque tranquillitas; Hanc nobis vinum parit: somno accommodum & securitatibus. Hoc certe fuit Nepenthes illud, quod Homerica Helena Telemacho propinavit, oblivionem tristitiæ, veniamque afferens: quod utique omnibus mortalibus foret propinandum. Vnde & nepenthes ab effectu nuncupatum, quod eo tristitia & luctus omnis aboleatur. Merito Bacchum ob tam suave inventum, Deum finxit antiquitas: merito in cœlo est vindemiator collocatus: merito Bacchus ipse liber pater nominatus, non tam ob licentiam linguæ, neque ob libertatem Bœotiis datam, quam quod liberat

berat servitio curarum animum: & ut morbis quibusdam, ita tristitiæ medetur. Proinde sanctissimus & vitiorum objurgator severissimus Seneca, præcipere non dubitat, liberaliores potiones esse hauriendas, & aliquando usque ad ebrietatem veniendum. Ad hæc, nonne maximi heroum: regum: philosophorum: ebriosi atque bibaces fuisse memorantur? Quorum exemplis illustribus ebrietas ipsa honestatur, & vitium ebrietatis (si modo id vitium sit) fit imitabile. Herculem inter horas amigeratum, quo nihil illustrius ebrium & cessabundum fuisse accipimus; Ideoque schiphum illius poculum esse, ut Liberi patris cantharum: Ob hoc fictores Herculem cum poculo figurant. Alexander Magnus (quo nihil majus) vini avidissimus fuit, ad temulentiamque proclivior. Cato quoque, qui exemplar virtutum & norma est, qui ut sapiens dictus, ita re vera fuit, vino indulsit, ebrietatisque hilaritate demulctus interdum est: Cujus olim ebrii velatum caput, quum quidam quibus obvius fuerat, retexissent, erubuerunt: Nimirum quia ebrietas quoque in Catone visa est venerabilis. Ergo igitur quum viri tam clari, tam magni, tam sancti, vino indulserint: cur pudeat me & dici,

& esse

& esse temulentum? Cur in me sit criminosum, quod non solum excusatur exemplis, verum etiam defenditur? Denique, cur mihi damnosum sit, Iudices si id faciam quod Hercules: quod Cato factitaverunt? Quorum auctoritas tanta est, ut ebrietatem honestam magis efficere possint, quam ipsi ex ebrietate turpes fieri.

Habetis perorationem meam in duos fratres: alterum fornicarium, alterum aleatorem. Quorum alterutrum vestra pronuntiatione damnari necesse est, si novissimam defuncti testatoris voluntatem tueri vultis, qua animis vestris nihil debet esse sacratius: quanto enim vinolentia minor sit vitiositas fornicatione, vel alea, vel utroque scitis; & hoc scio vos scire.

Quocirca pronunciate Iudices quæso, vel in hunc, vel in illum: ut ego sententia vestra absolutus, possim paternis bonis perfrui, comiterque atque hilariter: ut indulgens vino, excusabilis sim exemplo Herculis, Alexandri, & Catonis: quos vitæ duces habere non solum venia, sed etiam laude dignum est. Dixi.

Scor-

Scortatoris & Aleatoris recriminatio adversus Ebriosum.

ÆSopi fabulatoris elegantiſſimi apologus Iudices, narrat, homines duas manticas habere, alteram anteriorem, alteram poſteriorem: In priore aliena vitia mitti, in ea quæ à tergo eſt, noſtra occultari. Quo apologo ſcienter & feſtiviter ſignificatur, mortales obſervare papulas alienas: in propriis ulceribus incurioſos: in alienis peccatis noſcendis oculatos eſſe: in ſuis talpas: Neminem videre quid manticæ in tergo ſit. Hoc cum in pleriſque tùm hodierno die in fratre cognovimus: qui in negotio ſuo hebetior, in alieno acutior: feſtucam in oculis noſtris aſpiciens, trabem non videt in ſuis: qui copioſe & eleganter in meretricarios aleatoreſque perorans, ebrietatem (cui obnoxius ipſe eſt) non ſolum dixit eſſe ignoſcibilem, verum etiam (ſi Diis placet) quaſi expetendam atque dignam laude, eſt conatus aſſerere. Nos vero Iudices, nihil verrucas noſtras convelantes, ſimpliciter ingenueque fatemur malum eſſe ſcortari, & forum aleatorium calefacere: Sed majus malum temulentiam eſſe contendimus; idque

idque evidentibus argumentis planum faciemus; vos quæsumus, ut sicut attente fratrem audivistis, in fratres invehentẽm, ita libentibus animis nos audiatis fratrem retaxantes: ut si quam ille voluptatem maledicendo cœpit, eandẽ male audiendo penitus amitttat: qui cum dixerit quod voluit, non iniquum est, si audiet quod nolit. Vestrum erit officium judices, causa utrinque perorata, collatione vitiorum: de quibus agitur facta, solerterque perpensa, ferre sententiam. Homo, ut hinc ordiamur, ex an mo & corpore compactus, nihil habet pensius chariusque, quam semetipsum; Vnde fit, ut animi ac corporis incolumitatem diligentissime custodiat, & ea cum primis aptet, quæ Græci τὰ πρῶτα φύσεως, Latini prima naturæ sive primigenia appellant: in quibus numerantur valetudo, sensus integri & omnium partium conservatio: quibus non pauci summum hominis bonum metiuntur. Et cum vitæ ars prudentia sit, quæ inter bona animi potissimum elucet: eam præcipue incolumem servare debemus, ut vivendi ratione consteımus. Hæc igitur animi & corporis incolumitas, cum sit rerum omnium preciosissima; cum bona animi & corporis sint maxima bonorum: quis non videt,

videt, id vitium longe majus esse habendum, quo majora & plura hominis bona profligantur? Atqui cuncta hæc ebrietate concutiuntur, & vini crapula hebescunt. Temulentia mentem obnubilat: corporis valetudinem profligat: nec non est rei famæque dispendium. Vetus verbum est sapientiam vino obumbrari, quod vigorem animi impedit ad procinctum tendentibus. Qua in re subit admirari priscorum diligentiam, qui significatissimo vocabulo vinum temetum appellavere, ex eo quod teneat mentem, ac tentet: Vnde & temulentia ebrietas nominata. Quid per Deos fœdius? quid turpius esse potest, quam quod homo extra hominum extraque humanum intellectum per vinolentiam collocetur? semetipsum ignoret? nec plus sapiat, quam bimus puer aut anniculus? vini calestis aspergine sanitas mentis expugnatur, fitque rerum omnium oblivio, morsque memoriæ, Non est temulenti animus in sua potestate mersus vino & ebrietate devictus: quod neque fornicario accidit, neque aleatori. Et ut eleganter definit Seneca, gravissimus vinosorum censor: nil aliud est ebrietas, quam insania voluntaria: nonne hoc probrum omni probro majus

est, hominem ultronea insania oblectari? Cujus peculiare bonum est sapere: sanitatis mente perfrui. Adjice ex vino vertigines capitis: tecta mobilia: gradum errabundum. Nam ut ait scitissime Plautus; luctator dolosus est vinum, pedes captat primulum. Merito dixit Androcides sapientia clarus: sicut venenum est homini cicuta, ita & cicutæ vinum: intelligi volens, veneni venenum esse vinum. Quam multi morbi atque ægritudines ex vini intemperantia proveniant, quis ignorat? Cum hinc ulcera oculorum, nervorum resolutio, tremulæ manus; cum hinc Causones, id est, febres æstuantes: cum hinc pedes ulcerosi ac podagrici, aliaque innumera morborum genera, proveniant: unde merito dici potest: Ebrietatem pœna premit comes. Præterea quod non minus turpe est, vino fœtent ora nimio, & graveolentia anhelitus inficitur. Vis videre quam noxia ac pestifera res corporibus sit vinum? Vbi quispiam ægrotat, statim ex præscripto medicorum vini potu interdicitur: tanquam id fomentum incendiumque morbi sit. Adhæc rei suæ male consulit homo ebriosus, dum vina preciosa cum dispendio patrimonii undique conquirit: dum vinum pluris quam aurum

aurum facit: Idq; jucundius quam solem intuetur. Videmus quotidie multos (nec enim in re notissima exemplis opus est) ad inopiam egestatemq; redactos ebrietate sumptuosa. Tanto labore & impendio constat, quod mentem mutet, ac furorem gignat. Et ita vinum sepe causa est ut patrimonia & opes decoquantur: ut vacantes potibus consumantur, sicuti & Salomoni plane credi convenit. Quanta autem labes infamiæ, quantum dehonestamentum subsequatur id vitium, homo nemo nescit; cum exprobratio ebrietatis inter cætera convitia sit maledicentissima; cum quotidianum hoc maledictum tanquam maximum, in altercationibus audiatur. Achilles Homericus non probrum ullum fœdius invenit, quo proscinderet Agamemnonem illum regem regum, quam ut οἰνοβαρὴς, hoc est, vino pressus, atque vinolentus appellaretur. Olim Divi Augustini mater, cum ab ancilla per amarulentam insultationem merobibula vocaretur tam fœdum erubescendum id maledictum esse cognovit, ut confestim damnata ebrietatis fæditate, ad sobrietatem sese contulerit: biberitq; deinceps vinum aquatissimum dilutissimumque. Excutite Iudices judicia mortalium, interrogate passim omnes, audietis hominem

ferme neminem esse, qui non scortator & alcator à convitiatoribus compellari malit, quam temulentus: adeo cunctis inolevit intellectus rei fœdissimæ, spurcissimique convitii. Adde, quot rixas, quot cædes, quot facinora pœnitenda fecerunt homines vino inflammati, & Bacchi thyrso percussi? Nam vinum (ut libris Esdræ testatum est) seducit mentem, & vinolenti sumunt gladios: qui cum è vino emerserint & surrexerint, non meminerunt, quæ gesserunt: Ille Alexander Magnus, cujus paulo ante, ô frater, exemplo gloriabaris. Nonne Clytum charissimum sibi ac fidelissimum inter epulas transfodit? Nonne amicos in temulentia plures interemit? cujus exemplum scriptores non ideo referunt, ut nos ad ebrietatem invitent, prout tu opinaris: sed ut ab ebrietate deterreant. Cogita quas clades ediderit publica ebrietas: hæc gentes bellicosas hostibus tradidit; hæc contumacissimos & jugum recusantes, in alienum redegit arbitrium: hæc invictos acie, mero domuit, Sic Syracusæ in manum Marcelli ditionemque Romanorum pervenerunt: sic Massagetæ à Persis profligantur, & vino mersi capiuntur. Quod igitur Iudices, vitium fœdius, probrosius, deterius

terius esse potest quam ebrietas? qua sanitas mentis concutitur: Valetudo corporis profligatur: patrimonia atteruntur: fama pulsatur; quam rixæ: cædes; infanda facinora: nec non urbium excidia subsequuntur. Stoicorum dogma, quo callidè magis quam vere tradirur ἴσα τὰ ἁμαρτήματα εἶ(ναι): id est, peccata paria esse, quotidie refellit vita: sensus communis impugnat: vitia nostra redarguunt quæ haud dubie imparia, & aliud alio majus esse, nemo non cernit: hoc etiam cæcis liquet, ebrietatis labem tanto, quam scortatus & aleæ esse fœdiorem, quanto plura preciosioraque sunt illa, quæ per temulentiam amittimus, quam quæ per aleam scortationemque deperdimus. Verum audi frater, quo rem deducamus: sint cætera omnia inter nos paria, vel si ita mavis, sint in nobis duobus flagitiosiora: sit fornicatio, sit alea vitiositas fædior, quam temulentia: sit tua melior quam nostra conditio: vincas tu ex reliquis partibus: Vnum tamen nobis concedas velis nolis, necesse est: mentem ebriosi concuti: ingenium obnubilari: sensus omnes fieri lapsabundos, & hominē exire ex hominis potestate: quo concesso victores sumus, cum huic vel soli vitio par sit nihil, & nihil secundum.

G 3 finge

Finge, excogita, comminiſcere quod libet, nunquam tamen impetrabis, quin nobis conſtet mens & animus, quam in te ebrietas concutit atque dementat. Dementia autem mentis & inſanitate animi gliſcente, homo hominis nomen amittit, & nihil fere differt à brutis animantibus, ex quo fit omnium deterrimus fœdiſſimuſque. Quod autem frater vinum præconio laudis extulit, & ex ſententia Aſclepiadis vix Deorum potentia æquari poſſe pronunciavit, volſellis pugnat non gladio: quum neque nos inviti Iudices bibamus, neque vinum culpemus: ſed vinolentiam. Scimus duos eſſe liquores corporibus humanis gratiſſimos, intus vini, foris olei: ſcimus, nihil viribus corporis eſſe utilius vino, ſi modus adſit: ſcimus vino ſtomachum recreari, appetentiam ciborum invitari, triſtitiæ curam hebetari, algorem expelli, ſomnum conciliari, ſed ſi modice vel potius intra modum hauriatur: fuit ergo ſupervacanea illa in vini laudes excurſio, quod nullus infamat. Verum enimvero ebrietas, de qua agitur, ebrius qui culpatur, qua excuſatione excuſabilis fieri poteſt? qua defenſione defendi? an auctoritate Platonis te ipſum tutabere? quem veluti temulentiæ ſuaſo-

rem

rem ac magistrum citasti? falso: Scito enim, bone frater, lege Platonica ebrietatem istam turpissimam, quæ labefactare & imminuere hominum mentes solet, cujus reatum hodie tu sustines, minime laudari: sed liberaliorem paulo jucundioremque vini invitationem, quæ fieret sub quibusdam quasi magistris conviviorum sobriis, non improbari: imo, ut scias, decreta Platonica non à te stare, sed à nobis, intellige, quantòpere ab illo culpetur ebrietas. Decernit divinus philosophus pueris merum aquæ potum, vinoque interdicto vetat ignem igne incitari. Idem jubet sponsum & sponsam dare operam liberis, & abstemios esse, ut conceptus fiat solidus & quietus: quum ebrii tanquam mente capti, ad generationem sint inutiles, quippe cum verosimile sit ex temulentis fœtus tam membris, quàm moribus tortuosos progenerari. Quod Herculem bibacem: Alexandrum temulentum: Catonem vino hilarari solitum: teque illorum imitatorem esse gloriabundus memorasti: Dic quæso ô frater, placentne tibi tanti viri pro archetypo & exemplari, quod sequaris? Age dum imitare illos totos, & sicuti vitii affectator videri vis, sic imitator esto virtutum: perge per illorum cuncta vestigia: effin-

ge nobis ac redde monstrorum profligatione Herculem: rerum magnitudine Alexandrum: morum sanctitudine Catonem: tunc in te tam ignoscibilis erit ebrietas, quam fuit in illis: tunc nemo tibi negotium facesset: tunc nobiscum tibi nulla erit controversia de paterna hæreditate; Cedemus ultro bonis: eris tu extra omnium judicii aleam sequestratus. Nos duo inter nos disceptabimus, uter ex nobis sit exhæres pronunciandus, te in tuto, te in vado salutis collocato. Sed quæ est ista perversitas, improbitas, iniquitas? velle magnis heroibus vitiositate esse consimilem, virtutibus vero longe dissimilem? velle sequi fugienda, fugere sequenda? velle mala imitari, bona non aspicere? Placet tibi in Catone ebrietas? placeat & gravitas, frugalitas, integritas, doctrina, mores, cæteræque virtutes omnes, quarum dictus est norma, auctor, exemplar. Scito tamen, magnos illos viros non vino ingenium mentemque, ut tu quotidianis ebrietatibus ingurgitasse; nec enim in pectoribus magnis ullum esse potest honestorum turpiumque consortium, sed pro fomento laborum, quos dies noctesque exantlabant, sese interdum largioribus poculis invitasse, quorum labecula virtutibus obumbratur; Ad quos

quos quum tu nulla ex parte laudabili aspires, desine illorum exemplis tua probra fulcire, quorum virtutes non assequeris. Desine illos jactare, qui abs te in hoc judicio nominati, faciunt causam tuam turpiorem, fœdiorem, deteriorem, quam si nusquam nominasses. Demiramur, ô frater, te in hac nominatione silenter præteriisse Tiberium Cæsarem, cujus utpote maximi Romanorum Imperatoris exemplo, causa tua roborari potuisset; qui propter nimiam vini aviditatem, pro Tiberio Claudio Nerone, Biberius Claudius Mero vocatur, qui Pisonem urbis Romæ præfectum fecit, quod biduo continuo duabus noctibus perpotationem apud seipsum continuasset. Atqui exempla vitiosorum quamvis illustria, magis officiunt vinolentiæ reo, quam patrocinantur. Quod si Iudices, in vitiis defendendis atque excusandis valeat auctoritas principum, nos quoque maximi Imperatores excusant. Namque memoriæ proditum est Cæsarem Augustum, qui vivus habitus est divus, quo nihil majus, meliusve terris, fuisse aleæ cupidissimum, & diebus festivis, profestisque. Claudium quoque Imperatorem de arte aleæ librum composuisse: cujus studiosissimus adeo fuit, ut solitus sit etiam

iam in gestatorio ludere. Meretricarios vero extitisse tam multos, ut Salomon, quo nil sapientius, greges concubinarum prope innumerabilium habuisse prodatur: ut Cæsarem dictatorem, omnium mulierum virum dictaverint. Sed nobis vitia nostra diluere exemplis principalibus non est in animo, nec libet ea defensione, quæ haud dubie potentissima est, uti: dicamus nihil esse in rerum natura tam necessarium, tamque expetibile, quam Venereum concubitum: quo in terris sublato, cuncta animantium genera citissime deficiunt, atque intermoriantur necesse est. Excedat agedum, ut Senecæ verbis utar, rebus humanis Venus: orbis jacebit squalido turpis situ. Tolle ex commercio mortalium meretricias amationes, cuncta videbis misceri, perturbarique libidinibus incestis. Non juvat in judicio coram vobis, Iudices, allegare, aleam illiciem esse vitæ voluptuariæ, atque animorum oblectamentum, qua ociosi mortales æstivorum dierum æstus torrentissimos fallunt: qua à cibo, à mensa salubriter utuntur, cum id horæ, ex præcepto maximorum Medicorum, omnis animi corporisque agitatio sit inutilis: Sed nobis nihil prosint hæc adminicula Iudices, ad causam nostram roboran-

randam: imo ſimpliciter & ingenue profitemur nos eſſe criminoſos, nos vitioſos: ſed criminoſiorem, ſed vitioſiorem eſſe fratrem indubitanter aſſerimus, idque videmur argumentis ſatis probabilibus hactenus demonſtraſſe. Verum ut vobis Iudices hoc magis liqueat, ut fœditas tanti vitii fiat manifeſtior, denique ut ſcrupulus nullis mentibus veſtris inhæreat, quin vinolentum fornicario & luſore fœdiorem vitioſioremque judicetis, libet hoc potiſſimum in loco rhetoricari. Et quoniam adverſarius per exempla, ſententiaſque nobilium ſcriptorum expatiatus eſt, nos quoque exemplis, nos dictis philoſophorum, oratorum eccleſiaſticorum perſpicue explicabimus, ebrietatem fuiſſe ſemper apud priſcos deteſtabilem, proſciſſamque convitiis, ab optimis quibuſque, perinde ac inſigniter pernicioſam. Erunt hæc non injucunda cognitu, nec inutilia relatu, nec eruditis auribus aſpernenda: vos modo ut attente præterita audiviſtis, ita attente ac lubentibus animis reliqua audi- tote. Lacedæmonii illi frugaliſſimi, & Lycurgi legibus bene inſtituti, cum ab ebrietate perinde ac re fœdiſſima juventutem abducere vellent, hunc morem obſervabant, ut in feſtivitate ſervos qui Ilo-

tæ vocantur, largo mero ingurgitatos, in convivia juvenum deduci juberent, ut illi ſpectantes ebriorum turpitudinem, ebrietatem veluti rem fœdam ac deformem perhorreſcerent. Plato, Ariſtoteles, Euſebius, & maximus Medicorum Galenus dilaudant legem Carthaginenſium, qua dum militant & caſtrenſibus rebus incumbunt, vinum nullus guſtare permittitur, ſed omnes toto militiæ tempore aquam bibunt, tanquam vino ad ferendum laborem homines remolleſcant. Cæſar auctor eſt Suevos Germaniæ populos, vinum ad ſe omnino importari non ſinere, quod ea re ſubnervari corpora arbitrantur: Cheremon Stoicus narrat, priſcos Aegypti ſacerdotes & carnibus & vino ſemper abſtinuiſſe, ex eo tempore quo cœpiſſent divino cultui operari, ut ſenſus tenuitate forent vegetiores. Ioſephus, Philo, Euſebius, Hieronymus prodiderunt, Eſſæos in Iudæa abſtemios fuiſſe & invinios, quotidianumque jejunium vertiſſe in naturam: Apud Romanos atque omni Latio fœminæ ætatem abſtemiam egiſſe, hoc eſt, vino abſtinuiſſe, memorantur; quod ſi ulla inventa eſſet vinum bibens, morte mulctabatur, ut auctor eſt Dionyſius in libris antiquitatum. Ex noſtris quoque celeberrimi ſcri-

ptores

ptores scripsere, uxorem Egnatii quod vinum bibisset è dolio, interfectam fuisse à marito, eumque cædis à Romulo absolutum. Fabius pictor in annalibus suis tradidit, matronam, quod loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, resignavisset, à suis inedia mori coactam. Cnejus Domitius judex mulierem dote mulctavit, quod vinum bibisset viro insciente. Ob hoc propinqui, ut inquit Marcus Cato, & repetit Tertullianus in Apologetico, osculum fœminis dare soliti erant, ut spiritu indicarentur, an vinum olerent. Et medius fidius usu vini immodico janua virtutibus clauditur, vitiis aperitur. Appollonius Tyaneus, quo nil sanctius, nil divinus inter homines, fuit hydropota, hoc est, aquæ potor, vinum tanquam ingenii pestem reformidans. Divus Hieronymus præcipit virgini Christianæ vinum tanquam venenum esse fugiendum. Idem clericis vino prope interdicit: qui scribens ad Nepotianum, nunquam (inquit) vinum redoleas, ne audias illud philosophi: hoc non est osculum porrigere, sed vinum propinare. Marcus Tullius inter plæraque alia probrosa, quæ Pisoni objectat, id quoque maximo probro dat, quod vinolentus ore fœtido teterrimam popinam inhalas-

halaſſet. Quid multa? Deus in Levitico ad Aaron Archierea, hoc eſt, pontificem, vinum (inquit) & omne, quod inebriare poteſt, non biberis tu & filii tui, quando intrabitis tabernaculum teſtimonii, ne moriamini. Quin etiam Dei conſectaneus, electionis vas, & ſcripturarum ſanctarum armarium Apoſtolus Paulus, vinolentiam damnans, in epiſtola ad Timotheum præcipit, Epiſcopum ſobrium eſſe debere, minimeq; vinolentum. Hinc in decretis canonicis eſt illud memoratiſſimum; Vinolentum ſacerdotem, & Apoſtolus damnat, & vetus Lex prohibet. Sacerdotes, qui miniſtrant, in templo Dei prohibentur vinum bibere & ſiceram: ne crapula & ebrietate corda eorum prægraventur. Sicera autem Hebræo ſermone omnis potio nuncupatur, qua quis inebriari poteſt: Quicquid inebriat, ſtatum mentis evertit. Ante diluvium homines erant ſicci, ſobrii, introducto nullo vini uſu, nulla cultura vinearum: Poſt diluvium ut ſacris literis proditum, primus Noë plantavit vineam, habenſque vinum, illico inebriatus eſt; Itaque nec vinum ſuo peperit auctori. In pentateucho quoque legimus ebrietatem inceſti cauſam fuiſſe: Cum patrem Loth filiæ inebriaſſent moxque ex ebrietate ad inceſtum

ſtum concubitum infandumque illexiſſent. Ex illo tempore mortales vini fervor: ex fervore ebrietas: ex ebrietate inverecundia: inceſtum furor invaſit. Tunc temulentia variis motibus mentes hominum concutere cœpit, ita ut alii fierent rixoſi & furentes: alii jocoſi & loquaces: alii ſomnolenti: alii lachrymabundi. Etenim vinum eandem vim habebat, quam bilis atra, variam ſcilicet & multiformem, ſuper qua re nobile eſt problema nobiliſſimi philoſophorum Ariſtotelis: unde videtur Horatius Flaccus illud mutuatus. O nata mecum conſule Manlio: ſeu tu querelas, ſive geris jocos; ſeu rixas: & inſanos amores: ſeu facilem pia teſta ſomnum. Dionyſius, qui vulgo Bacchus, quem ethnici ſcriptores vini repertorem perhibent, cornutus figuratur: non tam quod boves cornigeros jugo copulaverit, ut Diodorus credidit, quam quod ex vini fervore temulenti ad temeritatem procliviter erigantur, fiantque impetuoſi, & quaſi cornupetæ: Tunc pauper ſumit cornua: tunc humilitatis oblitus, erigitur in tumorem. Quod vero Bacchum inter Deos relatum, & vindemiatorem inter ſydera collocatum, jactanticulus frater glorioſa prædicatione narravit, nihil ſane id ad cauſam ipſius fulciendam proficit.

ficit. Aut si commenta poëtica pro argumentis valent, valeat & illud, quod Venus nostra clarissimum sibi in cœlo sydus vendicavit: quod Venus inter cœlicolas dominatur: cujus natura cuncta generantur in terris; quam almam, quam divûm hominumque voluptatem celeberrimi conditores appellant. Ad hæc Anacharsis ille, qui apud socordissimos Scythas sapiens natus est, prodidit vitē uvas tres ferre; primā voluptatis: secundam ebrietatis: tertiam contumeliarum. Aesopus fabulator consimile quiddam dixisse traditur. Celebre est illud sapientis viri, sive is Aesopus, sive Anacharsis, sive alius quispiam fuerit, dictū, super mensam prima (inquit) cratera ad sitim pertinet: Secunda ad hilaritatē: Tertia ad voluptatē: Quarta ad infamiam: si quartū poculum potores reddit insanos, quid quater quaterna? quid quater dena pocula efficient? Nonne supra omnem furorem, supra omnē insaniam reddent insanissimos; Atqui constat vinolentos homines, quanto plus biberint, tanto plus sitire, & ex bibendi consuetudine, augeri aviditatem, ut merito hoc genus homines ad perdenda vina geniti esse videantur. Novellius Mediolanensis tribus congiis epotis uno impetu, tricongius cognominari non erubuit,

buit, gloriam ſcilicet ex vitio fœdiſſimo captans. Et cum omne vitium tanto criminoſius ſit, quāto major eſt ille, qui peccat: qua nota, quo probro vellicandus proſcindendusq; eſt Bonoſus Romanus Imperator, quem miramur à fratre præteritum eſſe in mentione vinolentorum, qui bibit quantum hominum nemo. De quo Aurelianus dicere ſolebat, non ut vivat, natus eſt, ſed ut bibat: qui quantum bibendo turpiter ingeſſerat, tantum mejendo turpius egerebat: qui ſuperatus à Probo, cum vitam laqueo finiens ſe penſilem feciſſet, jocus intonuit; Amphoram pendere, non hominem. Proclamat Salomon: luxurioſa res vinum, & tumultuoſa ebrietas: quicunque his delectatur, non erit ſapiens. Idem interdicit, ne ſimus in convivio potatorum. Subriſimus paulo ante Iudices, audientes fratrē incontinentes atq; intemperantes appellantē eos, qui aphrodiſia colunt, indulgentque rebus Venereis citantemque Ariſtotelis teſtimonium ex Problematis: tanquam Ariſtoteles ſolas ἀκολάστας τοὺς ἀκρατεῖς, id eſt, intemperantes & incontinentes homines Venereos mulierarioſque appellandos eſſe cenſeat. Agedum recita quæſo, bone frater, totum Ariſtotelicum Problema, videbis te quoque eodem loco habendum, eadem ſugilla-

gillatione notandum, iisdem vocabulis nominandum esse. Etenim ut res tota Iudices, colliquescat, scribit inclytissimus philosophorum, quinque esse hominum sensus, per quos voluptas quæratur, omnemque ex his immodicam voluptatem, turpem atque improbam existimari: Sed enim (inquit) quæ nimia ex gustu & tactu est, ea voluptas omnium rerum fœdissima est, eosque maxime, qui duabus istis belluinis voluptatibus se dediderunt, incontinentes appellare solemus, tanquam in pecudum ferorumque animalium numero habeatur, quisquis est his ferinis voluptatibus devinctus: Cum ceteræ ex tribus aliis sensibus provenientes, hominum esse tantum propriæ videantur. Hæc sunt Aristotelica; hæc ex promptuario philosophico deprompta: ubi non minus voluptas gustus, qua haud dubie potus quoque continetur, quam voluptas tactus concubitusque taxatur. Quod autem ridiculum sit, id alteri opprobrare, quod in te statim retorqueri possit, nullus ignorat. Verum antequam digrediamur ab hujusce fœdissimæ vitiositatis insectatione, subjiciemus opera ebrietatis, utentis non nostris verbis, sed Plinianis, quæ in ore, in pectore omnium habenda sunt, dignaque quæ ubi-

ubique, non ibi tantum memorentur, ad castigandam hanc inexplicabilem bibendi aviditatem. Audite ergo Plinium in temulentiæ vitia sic perorantem. Tunc avidi Matronam oculi licentur: tunc animi secreta proferuntur: Alii testamenta sua nuncupant. Alii mortifera loquuntur: redituraſque per jugulum voces non continent, quam multis ita interemptis: Vulgoque veritas jam attributa vino est. Interea ut optime cadat, Solem orientem non vident, ac minus diu vivunt: Hinc pallor & genæ pendulæ: oculorum ulcera: tremulæ manus effundentes plena vasa: & quæ sit pœna præsens, furiales somni, & inquies nocturna, præmiumque summum ebrietatis, libido portentosa, ac jucundum nefas. Postera die ex ore halitus fœtidi: ac fere rerum omnium oblivio: morsque memoriæ. Rapere se ita vitam prædicant, cum priorem diem quotidie perdant, illi vero & venientem. Hæc Pliniana in temulentos peroratio, hæc castigatio censoria, tam severa, tam luculenta, tam vera, quem non revocet ab ebrietate ad sobrietatem? à meracis potionibus ad dilutissimas aquatissimasque; à vinaria cœna ad prandium caninum? Quis hæc audiens, quis hæc legens,

non

non repente temulentiam fugiat ac execretur: perinde quasi vitiorum omnium fœdissimam, spurcissimam, defamatissimam? Quis judex ea auctoritate, ea sapientia præditus, qua vos estis, non è vestigio pronunciet contra ebriosum, contra ebrietatem? Sed jam tempus est canere receptui, ne dum vicem talionis implodimus, dum fraternam taxationem retaxamus, dum mutua flagitii exprobratione par pari referre studemus, immodici atque immoderati fuisse videamur. Adnotasse vos Iudices jam dudum credimus, quædam nos quæ objectaverit frater irrefutata, irrepercussaque, quasi nos dissimulantur præteriisse. Ita est Iudices: nec inficias imus. Nam ejus tantum est, qui se impeccabilem, & ut Græci dicunt ἀναμάρτητον ostendere velit, probra & criminationes omnes singillatim diluere atque refellere. Nos vero nostras noxas, nostra flagitia, neque inficiamur ut insontes: neque excusamus, ut inulti: neque jactamus, ut frater. Fœdum & turpe est ludere & fornicari. Erubescendum nomen est meretricarii & aleatoris. Crimen utriusque nostrum infame, detrimentosum, reprehensibile esse non negamus, atque etiam ultro profitemur: sed vitiositatem fraternam

ternam nostræ vitiositati nostrisque flagitiis asserimus esse anteponendam. Diximus ex ebrietate non solum famam & opes labefactari, quod in nobis potissimum carpsit frater, sed mentem, animum, sensus omnes concuti, mutari, perturbari, evidentissime docuimus: qua fœditate nil fœdius: quo vitio nil vitiosius esse aut dici potest. Ostendimus, quantas clades, exitia, funera, mortalibus ebrietas intulerit. Catalogo quoque quasi per exempla, per auctoritates, per dicta nobilium conditorum decurrimus, indicantes quemadmodum temulentia omnibus seculis supra omnem vitiositatem damnata, conscissa, infamata est. Quod superest, vestræ prudentiæ est Iudices, vestræque gravitatis, diligenter crimina nostra pensitare, & velut in librili collocare, perpendere, & quem ex nobis tribus, turpiorem, fœdioremque judicaveritis, in illum pronunciare. Nihil enim veremur, quin secundum nos pronuncietis, quin vobis, qui sapientissimi estis, idem videatur, quod tot scriptoribus celeberrimis visum est, quod rationes suadent, exempla corroborant, sensus communis affirmat. Itaque causam nostram Iudices, fidei vestræ prudentiæque committimus,

& si

& si aperte cognoscitis (sicut profecto noscitis) ebrietatem longe fœdiorem esse atque vitiosiorem, ex hæreditate quæsumus fratrem, abigite, & nos judicio vestro liberate, sententiis absolvite, ut hæreditate paterna beneficio vestro perfruamur. Diximus.

PHILIPPI BEROALDI DECLAMATIO,

An Orator sit Philosopho & Medico anteponendus.

Magna ac venerabilis res est eloquentia, viri ornatissimi, cujus bono nihil præstabilius: Cujus beneficio fit, ut tanto hominibus ipsis præstent eloquentes, quanto homines cæteris animantibus antecellunt: hoc cunctis liquet, hoc preconio omnium atque consensu celebratissimum, hocnostra quoq; oratione jampridem edita testificatū est. Attamen hodierno diePhilippicas M.Tullii sive Antonianas auspicaturus, existimavi me facturum operæ precium, si ritu scholastico paulum rhetoricarer & declamatoria dictione

ac præluderem. Quod & commodius fiat, unam de ſchola priſcorum declamatorum controverſiam pertractabo. Daboque operam, ut conditurae noſtræ concinnataque edulia faciant ad ſtomachum. ut quæ à me dicentur, ea & animos foveant, & aures permulceant. Sed ut longas præfationes recidamus, rem ipſam ingrediemur. Quod dum fit, vos diligenter ac libenter attendite.

Argumentum.

Pater qui tres liberos habebat, Philoſophum, Medicum, Oratorem: moriens, teſtamento eum hæredem fecit, qui eſſet utiliſſimus civitati: poſt mortem patris contendunt tres fratres, cui hæreditas paterna cedere debeat: Primus philoſophus coram judicibus agit cauſam: à quo cum alia tum hæc dicuntur.

Declamatio pro Philoſopho.

DEmiror Iudices, cuipiam mortalium dubium videri, cui ex tribus fratribus potiſſimum paterna bona ſint adjudicanda: cum philoſophia ſit regina cunctarum diſciplinarum, quam Marcus Tullius inventum Deorum: Plato vero donum Deorum eſſe tradiderunt; quo bono

bono (ut ipsius Platonis verbis utar) nihil unquam majus mortalibus datum est à Diis, nec unquam dabitur. Hæc est vitæ lex, virtutum indagatrix, vitiorum expultrix, lumen legum, magistra morum, rerum elementarium exploratrix; cœli & mundi contemplatrix, quin altitudinis studio etiam cœlo ipso sublimiora quæpiam vestigat; & ut inquit Platonicus Apulejus: In extimo mundi tergo degit. Hac internuntia homines Deo cognati & proximi, imo ut verius loquar, Dii terreni efficiuntur. Quid per Deos immortales excellentius sacratissima illa Philosophia? quæ supra hanc caliginem, in qua volutamur excedens, docet, quid agatur in cœlo. Meritoque Seneca philosophorum sincerissimus sanctissimusque (cui utique credi convenit) Naturæ rerum gratias agit, cum secretiora ejus ingressus, didicerit, quæ universi materia sit; quid sit Deus totus, in se intenderit; An ad nos aliquando respiciat; faciat quotidie aliquid, an semel fecerit: Pars mundi sit, an mundi anima, an potius opifex & factitator; liceat ne illi ex lege fatorum aliquid derogare: An majestatis diminutio & erroris confessio sit, mutanda fecisse. Ad hęc nulla res magis discusserit caliginem illam

illam nebulæ craſſiſſimam, quæ ut Poëtarum clariſſimi prodiderunt, obtutus mortalium hebetat, menteſque obducit oppenſo ignorationis velamento. Quid porro utilius illa altera Philoſophiæ parte, quam partim Ethicen, partim moralem appellitant, quæ maxime ad homines ſpectat, quæ docet, quid in terris agendum ſit, quæ errores noſtros diſcutit, quæ urbes peperit, diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocavit: Reſpublicas bene moratas inſtituit. Vnde non immerito ſectatores Philoſophiæ ubique gentium philoſophos nominant, nomine ſcilicet ſancto & religioſo, quaſi ſolos ſapientiæ ſtudioſos; qui ante Pythagoram Sophi, id eſt, ſapientes & habebantur & nominabantur. Quid quod & Philoſophus Medicus eſt? cum philoſophia (ut inquit Arpinas orator) ſit animorum Medicina? Quod & Galenus quoque teſtatur. Cum autem morbi pernicioſiores plureſque ſint animi quam corporis, præſtantior haud dubie eſt Philoſophus, qui gravioribus morbis medelas ac fomenta ſalutariter apponit: qui denique tanto eſt quam corporis medicus nobilior utiliorque, quanto animus corpore eſt precioſior. Quinetiam philoſophus orator eſt: unde enim

vis illa dicendi, nisi ex scholis Philosophorum ducta est? Vnde rivi eloquentiæ, nisi ex fontibus philosophiæ derivati? Huc adde quod dialectice, id est disputatoria, sive disputatrix, philosophorum est, quæ rhetoricæ prope germana est, in tantum ut Zeno Dialecticen manui in manum compressæ, Rhetoricen vero explicatæ, similem esse tradiderit. Quid per Deos immortales, hac tripertita philosophia præstabilius? quid utilius esse ac dici potest? Cujus una pars rerum naturam scrutatur; altera componit animum & mores: tertia structuram verborum exigit & argumentationes. Ipsum porro philosophiæ vocabulum quid aliud significat quam amorem studiumque sapientiæ? quo quid melius? cujus germana est Philocalia, quæ amor pulchritudinis vertitur: tanquam sine philosophia pulchritudo esse non possit. Cæterum ut semel finiam, philosophus, hoc est, sapiens, est omnia: Et (ut inquit ille:)

Vno sapiens minor est Iove dives,
Liber, honoratus, pulcher: rex denique regū.

In tanta apud priscos æstimatione ac reverentia habiti sunt philosophi, ut Platoni sapientiæ Antistiti Dionysius tyrannus vitattam navem obviam miserit;

Ipſe quadrigis albis egredientem in littore exceperit: Vt Alexander magnus Ariſtoteli philoſophorum doctiſſimo, patriam reſtituerit in honorem præceptoris, cui non minus debere quam Philippo parenti profitebatur: ut Pythagoram Crotoniatæ ac Metapontini pro Deo colerent, & ex ejus domo templum facerent; qui in tanta fuit admiratione, ut qui præſentia illius frui meruiſſent, id perſcriberent ad ſuos tanquam magnum quiddam ac præclarum adepti forent, quod Pythagoram vidiſſent. Nunc quoque vos, ô Iudices, reveriti nomen philoſophi ſacroſanctum ac venerabile, philoſopho mihi bona paterna (ut par eſt) adjudicate, & ſententia veſtra decernite: cum voluntas patris hoc voluerit: cum ſenſus communis hoc dijudicet: cum excellentia doctrinæ, quam profiteor, hoc peculiariter depoſcat. Dixi.

Audiſtis hactenus, viri clariſſimi, quæ ex philoſophi perſona in petitione hæreditatis paternæ dicta ſunt: nunc quæſo audite attentis animis & auribus, quæ ſecundo loco Medicus egerit, qui cauſæ ſuæ patrocinatus eſt patrocinio hujuſce, vel conſimilis orationis.

Diſceptatio eſt Iudices inter nos, non quæ ex noſtris ars ſpecioſiſſima, ſed quæ

civitati utilissima: Quæritur, quis ex nobis plus mortalibus prosit. Quis nescit, Medicum ad omnes totius civitatis ordines, ad omnem sexum, ad omnem ætatem pertinere? Cum summatibus: infimatibus: viris: fœminis: senibus: pueris ægrotare contingat; Cum omnes ex hoc utilitatem indiscriminatim petant; meritoque dici potest, Medicum rem communem terrarum esse. Et me hercle, si vera dispicimus, si curiose cuncta perpendimus, sola Medicina, soloque Medico opus est omnibus. Medicina est, quæ una contra fata depugnat, eaque identidem expugnat: quæ languentibus vitam prorogat: quæ jam deploratos, jam defletos, in familia orci numeratos, luci auræque vitali persæpe restituit: multique Medicinæ opera revixisse creduntur. Et ne fabulas percenseam, quæ ab Aesculapio Hippolytum & Tyndaridem ad vitam revocatos ferunt; Nonne Asclepiades inter Medicos famigerabilis, argumentum hujusce rei vel potentissimum est, qui homini jam conclamato depositoque dum effertur, fatum abstulit; Cujus animam in corporis latibulis delitescentem advocavit, eumque ab inferis postliminio prope funeratum domum retulit. Huc adde, quod huic arti

tan-

tantum honoris tribuêre majores, ut Diis inventores ejus assignaverint, cœloque dicaverint, Apollinem Aesculapiumque prodendo: quem ob id Archiatrum, quasi principem Medicorum dixit antiquitas. Et profecto Medicina res est sacra; Et ut Salomonis sapientia testatur; omnis medela à Deo est. Ideoque saluberrime sapientissimus ille præcepit, Medicum honorandum esse, quum propter necessitatem illum altissimus creaverit. Quod autem philosophus frater gloriatus est, philosophos prisco seculo honoratissimos extitisse apud Reges, ne in hac quoque parte illi utique cesserim, quum medicos acceperimus prope cultos ad Deorum vicem. Namque Hippocrates ille maximus Medicorum, ob depulsam arte medica pestilentiam ex Illyrico in Græciam venientem, honores illos meruit à Græcis, quos Herculi decreverunt: qua in re subit mentem illud Galeni ex libro Theriaces: quemadmodum scilicet jussit divinus Hippocrates, ignes fieri medicatos, odoramentis & suave olentibus unguentis perfusos, ut ita aër tabificus emendaretur, fieretque in attrahendo innocentior synceriorque: quod in pestilentia factitandum Avicenna quoque præcepit. Quid Asclepiades

idem inter Medicos priscos (Hippocratem semper excipio) facile princeps, nonne universum prope humanum genus circumegit in sese non alio modo, quam si è cœlo emissus advenisset? quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, vini, frictionem corporis, ambulationem gestationemque: Qui expetitus à maximo regum Mithridate, legatos illius ad se missos, pollicitationesque ingentes sprevit, posthabuitque quieti literarum. Critobulus quoque & Erasistratus habiti sunt in maxima apud Reges maximos existimatione: quum alter Philippum, Alexandri patrem: alter Antiochum Syriæ regem solerti curatione sanasset. Quid multa? quum sanitate nil utilius sit mortalibus, quod Galenus quoque asserit in libro sectarum) Medicina autem quum sanitatem præstet, liquido colligimus, Medicum & Philosopho & Oratore longe utiliorem esse civitati. Quod si philosophia animi medicina dicitur, Medicina quoque corporum philosophia rite perhibetur: cujus adjumenta infirmitas hominum advocat, & continuo ubi ægritudo invasit, solatia Medici requirit, philosophis & oratoribus posthabitis, in quibus nullæ suppetiæ salutares, nulla sunt

ſunt adminicula languentium, quibus præſto eſt medicus, & remediis præſentiſſimis opitulatur. Proinde Iuriſconſulti Medicos profeſſoribus ſtudiorum liberalium merito anteponunt: quum hi ſalutem hominum agant, illi ſtudiorum curam. Quid nunc ego enumerem medicinæ partes, quas omnes ſacras ac ſalutares puto? Diæteticam quæ victu, Pharmaceuticam quæ medicamentis, Chirurgiam quæ manu curat. Ex quo fit, ut qui medicinæ utilitatem non videt, is non ut luſceolus, ſed ut exoculatus nihil prorſus videat. Quocirca Iudices, ſi utilitati publicæ conſulitis: ſi medicum in civitate utiliſſimum eſſe cognoſcitis, mihi qui ſaluberrimam artium, utiliſſimamque profiteor, hæreditatem paternam aſſignatote. Dixi.

Audiſtis, viri Spectatiſſimi, quæ philoſophus, quæ poſt philoſophum Medicus dixerint, in cauſa adipiſcendæ paternæ hæreditatis nunc ſedu'o auſcultate, atque animum advertite, & ea, qua ſoletis comitate perpendite, quid noviſſimo loco dixerit orator. Erunt (opinor) hæc nec injucunda relatu, nec ingrata auditu, nec indigna cognitu: Sic autem Oratorem cauſam ſuam egiſſe creditote.

Nunquam magis ſenſi quanta ſit ora-

toriæ facultatis vis atque excellentia; quam hodierno die, dum fratres audio non ex instrumento philosophiæ aut medicinæ, sed ex oratoria supellectile instructos causam actitasse, adeo sua philosopho philosophia, Medico Medicina nihil opis in agenda causa præstitere. Quin muri pene conticuissent, nisi ad eloquentiæ nostræ adminicula confugissent, sine cujus nitore philosophia sordescit: Medicina obsolescit: disciplinæ omnes incultæ rubiginant: adeo necessaria atque conducibilis omnibus omnium ingenuarum doctrinarum professoribus eloquentia est: cujus utilitati majestatique nihil (absit invidia verbo) est comparandum. Et quia mihi primum cum fratre philosopho agendum est, An ego philosophiam cum oratoria; philosophum cum oratore componam? parcius tecum agere cogor & modestius, quia frater es: sed tamen, quod inter nos dictum sit, ista tua præclara philosophia, quam gloriose jactas mi frater, & tanquam filiolam exoscularis, nequaquam tanti est, quanti eam videri vis: nec tam in philosophia studium sapientiæ est quam opinatio. Nam cum scientia certi sit, opinatio incerti, scholæ philosophorum omnium

omnium ac sectæ dum philosophantur, haud dubie opinantur: Istud enim opinatur quisque quod nescit: Illi autem qui de rebus naturalibus & cœlestibus disputant, opinione ducuntur, quum veritas demersa in secretioribus naturæ delitescat. Hinc philosophos à scriptoribus luculentis, opinatores opinosissimos dici novimus. Vndè autem quæso, nisi ex opinatione tot dissidia, tot compugnationes philosophorũ emanarunt: tot sectæ discordantes? Dicam enim, non obstrigulandi causa, sed quia ita se res habet. Pugnant philosophi inter se atq; dissentiunt dissidio non parvo, magnis in rebus & seriis. Quidam principium rerum esse autumant aquam, ut Thales Milesius. Alii ignem, ut Heraclius cognomento Scotinus id est tenebricosus. Quidam aëra, ut Anaximenes. Pythagoras vero, Empedocles: Epicharmus, aliique physici complusculi, quatuor elementa principium rerum esse posuerunt. Plato Deum factitorem mundi esse tradit. Aristoteles mundum innatum esse autumat. Epicurus, Democritus, Leucippus ex atomis, hoc est ex corpusculis insecabilibus, mundum formatum esse contendunt. Præterea de Deo & de anima: de finibus bonorum,

de meteoris, inter Philosophos non constat. Quidam Deos innumeros: quidam nullum esse crediderunt. Platonici unum quidem curantem rerum: At Epicurei ociosum & inexercitum. Stoici Deum extrinsecus cinguli modo torquendi hanc mundi molem esse prodiderunt. Platonici intra mundum: ut gubernationis exemplò intra illud maneat, quod regat. Sunt qui in fortunæ jam lapsibus omnia ponant, & nullo credant mundum rectore moveri, natura volvente vices & lucis & anni. Quidam curam Deorum intra sydera continent. Nonnulli divinam providentiam ad lunam usque deducunt: tanquam irridendum sit, agere curam rerum humanarum: illud quidquid est, summum atque indecorum sit Dei majestatem pollui tam multiplici sordidoque ministerio. Quanta (dii boni) de anima inter philosophos pugna: Plato ait animam esse substantiam αὐτοκίνητον, id est se moventem. Xenocrates numerum. Aristoteles entelechiam. Pythagoras & Philolaus & Aristoxenus harmoniam. Possidonius ideam. Hippocrates spiritum tenuem per corpus omne dispersum. Origenes Adamantius substantiam sensibilem & mobilem. Hipparchus & Zeno ignem. Anaxi-

naximenes aëra. Empedocles suffusum cordi sanguinem. Democritus ex atomis conflatam. Dicearchus vero nullum esse animum: nullam animam: frustraque & animalia & animantes appellari. Alii æternam: Alii mortalem animam dissolubilemque esse contendunt. Ecclesiasticorum quoque super eadem re est dissidium: alii ab origine mundi factas in cœlo animas: alii ex traduce propagari: alii Deum quotidie animas operari tradunt, quod & Christianum dogma confirmat. Hæc & id genus alia tam varia, tam diffidentia quum lego, quo me vertam? quem sequar? cui credam? Succurrit illud Horatianum: *Bellua multorum capitum es. Nam quid sequar aut quem?* Merito dixit Lactantius: De anima inter philosophos nondum convenit, nec unquam fortasse conveniet. Et à Lucretio decenter & vere dictum est: *Ignoratur enim quæ sit natura animai.* Eadem vero contentio est circa fines bonorum: quum alii in voluptate, ut Aristippus: alii in virtute, ut Zeno: alii in primis naturę, quę græci τὰ πρῶτα φύσεως, Augustinus & Varro primigenia vocant, ut Carneades. Alii in indolentia; ut Hieronymus Rhodius, summum bonum collocaverint. Peripatetici ex triplici genere

nere bonorum, animi scilicet, corporis, atque externis, felicitatem metiuntur: nec multo secus Academici. Voluptatem cum honestate Dinomachus & Calipho copularunt. Indolentiam quæ græce ἀναλγησία dicitur, honestati Diodorus Stoicus adjunxit. Quid dicam de rebus naturalibus, quanta sit inter Meterologos disparilitas atque dissensio? De Cometis. De fulminibus. De arcu cœlesti. De Niloticis incrementis non constat. Quid multa? De motu terræ, & ut inquit poëta: *Unde tremor terræ & qua vi maria alta tumescant. Obicibus ruptis*, sunt philosophi inter se discrepantissimi. Et in hac re vel sola opido quam mira inconstantia est? Namque Anaxagoras ignem causam motus existimat. Anaximenes terram ipsam sibi ipsi esse causam motus, nec intrinsecus incurrere, quod illam impellat, sed intus ipsam illidi in semet ipsam. Quidam motum aquæ imputavere: ut Thales Milesius. Democritus vero motum fieri autumat aliquando spiritu: aliquando aqua: aliquando utroque. Aristoteles, Albertus Magnus, & omnis Peripateticorum schola: spiritum ac ventos causam esse motus terræ alacriter affirmant. Cui sententiæ Plinius noster & Seneca subscribunt.

bunt. Ex hoc tam multiplici diſſidio, ex ea philoſophorum diſcordia haud dubie fit, ut incertus ſim quibus credam, quibus accedam: cujus ſectæ me candidatum eſſe profitear. Quicquid elegero, plurimos video improbaturos: quicquid probavero, plures negaturos: ut inter tot ambigua, illud tantum Socraticum mihi certum verumque eſſe, videatur: Hoc ſcio quod neſcio. Inde fit ut Academicorum ἀκαταληψίαν, id eſt, incomprehenſibilitatem, minime improbem, qui nulli rei aſſentiendum eſſe contendunt: qui ob id σκεπτικοὶ & ἀπορητικοὶ, id eſt, conſideratores & ambigentes dicuntur; Meritoque Proteus perſonam veritatis ſuſtinere creditur, quam ſuſtinere nemo poteſt falſis imaginibus illudentem & comprehenſionis nodos relaxantem. Ad hæc adde quod philoſophos irreligioſos putant, eoſque ferme arbitrari, Deos non eſſe, dum meras rerum cauſas & ſimplices rimantur. Ex hac opinor inconcinnitate diſſidiiſque ſectarum factum fuit olim vetus ſenatuſconſultum, quo philoſophi ex urbe Roma pulſi ſint, perinde ac inutiles atque infructuoſi. Mox iterum Domitiano imperante exacti ex urbe, & Italia interdicti. Vt ſemel finiam, propoſitum fratris demiror

miror inhiantis paterna bona, cum Philosophus, (si Platoni credimus, cui itaque jure philosophica credere convenit) minime sit Philochrematos, id est, pecuniæ cupidus, Immo contemptor divitiarum. Quocirca desiste frater moneo, à petitione hæreditaria, ne ab instituto sectæ tuæ deflexisse videaris, & vitæ contrarius ire priori. Nihil enim habet Philosophia præstantius, quam quod modicis contenta, ampliores opes non desiderat: Vnde fit, ut conditores legum philosophos in professorum numero non habeant, qui hoc primum eos profiteri oporteat, mercenariam operam spernere. Hæc satis ad philosophum, qui minus urgeri jam videtur & commoveri, vera castigatione commonitus. Transeamus deinceps ad Medicum: quem intelligo fiducia Medicinæ ad hanc causam oppido quam fidenter discendisse. Cuius ars haudquaquam philosophiæ absimilis est: videlicet varia: inconstans: interpolaris, & non parum sæpe perniciosa: quam ut in vestibulo dissertationis statim repercutiam elevemque; Nonne inter Medicos prope major, quam inter philosophos pugna est atque contentio? quam in diversas curandi vias processerunt? Hippocrati

causa morbi originalis videtur esse in spiritu sive statu, quem morborum omnium patrem & avum appellat, Herophilo in humidis omne vitium visum est. Erasistrato si sanguis in arterias, hoc est, venas, quæ spiritui accommodatæ sunt, quas recentiores pulsatiles nominant, transfunditur. Asclepiadi vero placuit, originem ægritudinum esse, si manantia corpuscula per invisibilia foramina subsistendo, iter claudant & meatus obturent. Ad hæc cum ciborum concoctione maxime sanitas constet: meritoque stomachus paterfamilias & rex totius corporis in homine dicatur: in hac quoque parte discrepantissimi sunt: Erasistratus enim cibos atteri in ventre contendit: Plistonicus putrescere: Hippocrati placet per calorem cibos concoqui; quod Galenus, Avicenna, & Medicorum neotericorum scholæ confirmant: Asclepiades vero nihil concoqui autumat: sed crudam materiam, sicut assumpta est, in corpus omne diduci. Huc adde, quod alii medicinam dicunt, esse rationalem; Alii in usu tantum, & experimentis eam posuerunt, perinde ac usus in curationibus, sicut in cæteris omnibus artibus, sit magister efficacissimus. Vnde Logici quidam, quasi rationales

tionales dicti: quidam ab experimentis Empirici; ut Serapion, & Apollonius, & Heraclides. Sunt & Methodici, à via quadam quam sequuntur, nominari. Ob hoc dixit Ausonius in Grypo Ternaria, triplicem esse Medicinam, illo versu: *Triplex quoque formam medendi: quæ logos, & methodos, cuique experientia nomen.*

Sunt & Dogmatici, quibus sunt sua decreta seu placita, sine quibus nulla secta consistere potest: hos maxime probat Galenus, à quo Empirici improbantur: qui ait, Herophilum & Philippum inprimis Empiricos, id est, experientiæ sectatores extitisse; Cum Hippocrates & Diocles Caristius & Erasistratus Logicam hæresin, id est, rationalem sectam sectati sint: Methodices vero principes fuerunt Archigenes & Themison: de quibus, opinor sensit Satyrographus, scribens: *Advocat Archigenem onerosaque pallia jactat.* Item: *Quot Themison ægros autumno occiderit uno.* Fuit & Prodicus Selibriæ, qui natus instituit Iatrolepticen medicinam, hinc innumeræ sectæ fluxerunt; dogmata infinita: sententiæ multiplices: hinc illæ circa ægros miseræ concertationes, nullo idem censente, ne videatur assertio alterius. Hinc illa infœlicis monumenti

inscri-

inſcriptio: *Turba Medicorum ſe periiſſe.* Et Adrianus Imperator (ut auctor eſt Dion) moriens dixit: Medicorum turba principem perdit: cui concinit verſiculus ille apud Græcos vice proverbii celebratus: πολλῶν ἰατρῶν εἴσοδός μ' ἀπώλεσε, id eſt, multorum Medicorum introitus me perdidit. Nequeo mihi temperare, quo minus Pliniana illa percenſeam, ad hoc totum negotium mire facientia, quibus luculentus ille ſcriptor in Medicos perorans, aſſerit, nullam artem Medicina inconſtantiorem fuiſſe: nec dubium eſſe Medicos omnis ſcientiæ famam novitate aliqua aucupantes, animas noſtras ſtatim negotiari: diſcunt periculis noſtris, & experimentia per mortes agunt, Medicoque tantum hominem occidiſſe ſumma impunitas eſt: quinimo tranſit in convitium, & intemperantia culpatur: quod ſi lex ulla extaret, quæ puniret inſcitiam capitalem, oppido quam paucos videres Medicinæ profeſſores. Proverbium illud ſat eſt notum: Tituli medicorum remedia habent, Pyxides venena. Hinc ille Lacon Medico dicenti, nihil habes mali: οὐ γὰρ σοῦ, ἔφη, ἰατρῷ χρῶμαι. Non enim (inquit) te medico utor. Et iterum cum Medicus dixiſſet: Senex factus es. Quoniam (inquit) non uſus ſum te medico.

Atqui, dicit quiſpiam, videmus quotidie multos morbis graviſſimis acutiſſimiſque implicitos, auxilio Medicorum convaluiſſe? Quibus reſponderi breviter poſſit illud Auſonii: Evaſit fati ope, non Medici. Contra plures videas occumbere, quibus Medici, qui habentur clariſſimi Medicorum, nihil profuere. Præterea millia gentium olim fuerunt, & in præſentia ſunt, ſine Medicis degentium. Nos vero aliena opera vivimus, alienis pedibus ambulamus, alienis promiſſis credimus: quod niſi jam ad finem mea feſtinaret oratio, oſtendere poſſem; quam multa ſunt nomina rerum medicarum apud Galenum, Avicennam, alioſque Medicorum celeberrimos, male intellecta? pejus tradita? peſſime uſurpata? In quibus diſpendio vitæ mortalium recentiores hallucinantur, & aliud pro alio propinantes, ſæpe dant mortiferam potionem pro ſalutifera. Quas ob res liquido colligimus, ô frater Medice, diſciplinam tuam, quam jactanticulus tantopere extollis, non tam utilem eſſe civitati, quam detrimentoſam. Salubriter itaque Porcius Cato creditur, Medicis interdixiſſe, cujus oraculo claudam hanc de Medicis diſputationem. Sunt autem Catonis verba hæc: Quandocunque gens iſta ſuas literas

ras dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, si Medicos suos huc mittet.

Hæc autem omnia contra Philosophos & Medicos inflammanter satis perorata, nemo vestrum viri clarissimi, queso perinde dicta accipiat, atque si ex persona mea dicerentur; absit enim à me talis insectatio: sed tanquam ex persona oratoris, agentis causam adversus fratres, alterum Philosophum, alterum Medicum: qui quum diluerit elevaveritque fraternas professiones, oratoriam disciplinam & oratoris nomen valentissime tutatus est. Vt qui dixit non solum illa judicum exorabula, quæ à nobis dici solent & possunt, sed multis quoque adminiculis fulserit, roboraverit, & erexerit causam eloquentiæ, quæ ad præsens omitto, illud tantum retulisse contentus, quod expatiatus orator per latissimos rhetorices campos, talia subjunxit.

Quod eloquentia (inquit) ô Iudices una de summis virtutibus sit, civitatique utilissima, adeo clarum, adeo in confesso est, ut probatione non egeat. Nam cum orator finiatur, vir bonus dicendi peritus: Rhetorice bene dicendi scientia, utilem esse eam confitendum est; quæ bonitate constat: elegantia pollet, nitore splendescit: cujus ope & opera præclara omnia

omnia fiunt & magna. Equidem conditores urbium, non tam philosophica doctrina, quam elegantia oratoria, & illicio facundiæ pellexerunt dispalatos homines ad civitatem politicamque vivendi rationem. Consimiliter constitutores legum, quibus nihil pene emunctius, limatius, & sententiosum magis, adjuti fulturis eloquentiæ, leges saluberrimas, eloquentissimasque condidere: quas mox interpretes interpretamentis barbaris fœdaverunt. Formatores quoque rerum publicarum; Imperatores bellicorum exercituum, regere consiliis & moderari res magnas sine docta voce & oratoris vi haudquaquam potuissent. Denique scriptores fere omnes in omni doctrinarum genere vel eminentissimi, sine pigmentis oratoriis, sine dolatorio rhetorico statim lectori nauseam faciunt, & bilem movent: adeo scriptio omnis citra elegantiam, & proxima fastidio: tantamque vim habet illa à poëta prisci seculi dicta flexanima, atque omnium regina rerum oratio. Merito apud Romanos, qua Rep. nulla unquam major, nulla sanctior, nulla bonis exemplis ditior extitit: summa semper oratoribus dignitas fuit. Et ut author est Cornelius Tacitus; nullus magnam potentiam sine eloquentia consecu-

ſecutus. Quod (ut de aliis taceam) nonne M. Tullius ille, orandi regula & dicendi lex, cujus ingenium Romano Imperio par fuit, qui latinæ facundiæ pomerium promovit, ad conſulatum uſque ampliſſimamque dignitatem ex humilitate natalium & loci evectus eſt? Quo quid utilius in Romana Republica excogitari poteſt? Quo ſuadente legem Agrariam; hoc eſt, alimenta abdicarunt Romanæ tribus: Cujus linguæ fulmen infregit audacem, id eſt, victoriantiã: & ipſum proſcripſit Antonium: Cujus nomine ſupplicationes à ſenatu decretæ ſunt, qui maximus honor victoribus bello ducibus datur, qui togato ante Ciceronem habitus eſt nemini. Demoſthenem quoq; admirabatur Græcia: obſervabat Rex Perſarum: & plurimus de eo apud Philippum ſermo habebatur: cujus gloria tam celebris, tam per ora omnium volitans extitit, ut anicula aquam ferens ita inſuſurraverit alteri ὗ τίς ἐστι Δημοσθένης, hic eſt ille Demoſthenes. Et olim Gorgiæ rhetori Leontino, à Græcia Delphis ſoli ſtatua non inaurata, ſed aurea tota dedicata eſt. Tantus honos habebatur oratoriæ artis profeſſoribus. In homine præcipue duo ſunt: Ratio & oratio. Vnde ab Apulejo homines finiuntur ratione plaudentes, oratione

tione pollentes. Sed ratio ſine oratione prope mutila eſt & manca. Quare ſi nihil ab illo parente rerum fabricatoreque mundi Deo melius oratione accepimus: ſi utiliſſimum eſſe nemo non novit eloquentia pollere, ſenatum, populum, exercitum: mortales omnes: in quæ velit orator ducere: ſi viribus orandi tantum aſſequi poteſt, ut fulgurire, fulminare, tonare (quod Pericli contigit) is videatur orator, pronunciate Iudices pro oratore, & ſecundum me litem date: & ut qui orator ad vos venerim, abeam à vobis exorator efficire; ut ſi rhetorice eſt perſuadendi opifex, ac ſuadæ medulla, videar apud vos perſuaſibiliter dixiſſe: ſive enim perſuadere, ſive bene dicere finis eſt & ſummum in oratore, utrumque id munus impleviſſe videbor, ſi voti compos ex ſententia veſtra ac pronunciatione diſceſſero.

DIXI.

PROPERT. II.

OMnes humanos sanat Medicina dolores:
Solus amor morbi non amat artificē.
Tarda Philoctetæ sanavit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phylirides.
Et Deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis.
Mysus & Æmoniæ juvenis, qua cuspide vulnus
Senserat; hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium potuit mihi demere, solus
Tantalea poterit tradere poma manu.
Dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
Nec tenera assidua colla graventur aqua.
Idem caucasea solvet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet avem.

EX ANTHOLOG. SACRA Bill.

Ei nihil eripi posse, qui nihil præpostere amat.

VIs tibi nil fures rapiant, nihil ulla tyrāni
Vis adimat, procul hinc sit tuus omnis amor.
Non pereunte Deo, pereant licet omnia vitæ
Commoda, vita licet deserat ipsa pios,
Nil perit his nam plena manent ea pectora semper,
Divinam pietas quæ facit esse domum.
Qui nunquam in fluxis rebus defixit amorem
Omnibus amissis perdidit ille nihil.

Amor. I. Senec. Oct.

Vis magna mentis, blandus atque animi calor,
Amor est: juventa gignitur, luxu, otio
Nutritur, inter læta fortunæ bona.
Quem si fovere, aut alere desistas: cadit,
Brevique vires perdit extinctas suas.

Ovid. I. Remed.

Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc, ut ames, faciunt: hæc, ut fecere, tuentur
Hæc sunt jucundi causa cibusque mali.
Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,
Contemptæque jacent & sine luce faces.

Senec. Hipp.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum,
Sero recusat ferre quod subiit jugum.

FINIS.

ANTONIUS ARENA
PROVINCIALIS,

De Bragardissima villa de Soleriis, ad suos Compagnones studiantes qui sunt de persona friantes, bassas dansas in gallanti stilo bisognatas: & de novo per ipsum correctas, & joliter augmentatas, cum guerra Romana totum ad longum signe require: & cum guerra Neapolitana: & cum revolta Genuensi: & guerra Avenionensi: & Epistola ad salotissimam garsam pro passado lo tempus alagramentum mandat.

Leges dansandi sunt hic, quas fecit Arena,
Bragardisantus atque salotus homo.
Omnia scire bonum est utaris dummodo recte,
Inter prudentes omnia tempus habent.



Ex Typographia rediviva.

An. CIↃ IↃ CXLVIII.



ANTONIVS ARENA

SOLERIENSIS,

In florentissimo studio Avenionensi studens, suis amantissimis sociis, cæterisque lectoribus.

S. P. D.

CVm animadverterem quamplurimos bragardos juvenes graviter errare in via dansarum, ignorantiæ eorum succurrendum existimavi, ut honorem contingerent, & hilariter viverent. Quoniam attestante capitanco legistarum Bartolo in Procemio trium librorum Codicis. Omnes gaudentes floridam ætatem faciunt: & tristus animus ossa desiccans quandoque in mentis periculum trahi: neque enim semper legali studio vacandum est. Videmus enim plures quorum mentibus studii assiduitas furorum genera, & nescio qua mentis caligine capti delirant. Cavendum est igitur nobis ne in vulgare proverbium incidamus. Parum stringit qui ni-

nimium amplectitur. Nimirum caute cecinit Ovidius in Epistolis :

Quod caret alterna requie durabile non est,
Hæc reparat vires fessaque membra novat.
Arcus & arma tuæ tibi sint imitanda Dianæ.
Si nunquam cesses tendere mollis erit.

Et Cicero Oratorum princeps in libro de Officiis : Ludo autem & joco uti licet : sed tunc cum gravibus seriisque satis fecerimus rebus. Et Stoicus ille Cato :

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Lætandũ est etenim cũ tempus postulat aut res.

Cum igitur nunc se offerat hilarissimus mensis Majus, quo tempore omnes populi voluptati, & gaudio, lætitiæ & omni solatio indulgere solent, ut inquit glo. quod ibi. Doctores in l. unica C. de mayeuma. lib. 11. Tunc enim apparent herbæ frondesque virentes : & garritus avium corda hominum lætificantes, & Bononiæ & in nostra Provincia, ac hic Avenione in viis reginas pro solatio faciunt, quas viri coguntur osculari. Item in dicto mense Maii amasii in signum amoris & solatii causa ante portas suarum amicarum altissimas robores plantare solent : quas mayos appellant, Quare à sapientibus non videbor incautus, si temporis oportunitatem secutus, lætitiæ & jucunditatis gratia in medium nunc aliquid prò solatio omnium afferam. exemplo

plo glo. in l. agraria. ff. de tem. mor. quæ dicit, Distingue tempora & concordabis scripturas. Volui itaque hanc arduam & difficilem materiam dansarum alacri animo isto jucundo tempore tractare: ut quod à nullis unquam scriptoribus commendatum fuerat (aut si quid erat, perperam & indigeste conditum fuit) aperte posteris traderem. De hac enim materia solet id dici per doctores quod habetur per Accursium in l. 3. ff. de verb. obl. miranda novitas subtili subtilitas quis eam ruminabit? Et solebat dicere dominus Paul. de Castr. de ista materia cum reperisset eam difficilimam in l. Pomponius. in o. ff. de neg. gest. Or sufficit le molto difficile & speculativo: advertatis quæve dico che sono anni quadraginta quinque ch'io dáso, & hora quæsta materia m'a dato fatiga como commençasse, adesse io ve dico bisongna che studia chi volo sapere. Igitur vos hujus rei studiosi quicquam scire cupiveritis pro viribus invigilare: nec transitorio studio utamini more desidum studentium, qui lecturas suas male & sicco pede repetunt. dicit gl. in §. 1. in auth. de quæsto. & dum Doctorem legentem audiunt, ab illius dictis animum avertunt: & male intenti castra in Hispania ædificant: & tegulas domus numerant, dicit glos. in unica. C. de stud. lib. ut b.

Rom. lib. 11. neque enim ſufficit in ſtudio manere: ſed oportet ſtudere. arg. text. in l. ſi quis ante: & ibi Iaſ. in ſexto ntoabili. ff. de acquir. poſſeſſ. & dicit in l. unicuique de proxim. ſacro. ſcrin. lib. 10. C. quod non ſufficit diu ſtetiſſe in ſtudio vel in ſcholis: ſed bene & laudabiliter ſtuduiſſe. Etiam dicit text. in cap. gloria epiſcopi. 12. quæſt. 2. quod non ſufficit fuiſſe Hieroſolymis, ubi eſt ſepulchrum Chriſti: ſed Hieroſolymis bene & laudabiliter vixiſſe laudandum eſt. Ergo vos nunc ſumma ope alacrique ſtudio inſtar legum has danſas noſtras accipite, & voſmetipſos eruditos oſtendite, ut ſpes vos pulcherrima foveat. Hæc enim materia vos frequenter oblectabit, maxime cum in toto corpore juris civilis nulla reperiatur utilior nec practicabilior: hæc enim ſingulis diebus de facto contingit: & circa ea quæ ſunt quotidiana nos diligenter advertere ſuadet Iuriſconſultus. in l. legavi in princip. ff. de liber. legar. & quemadmodum ſanctiſſimæ leges non permittunt quenquam vivere in paupertate; neque moti in anxietate. juxta text. in §. fin. in fin. in auth. de hæred. & falc. ſic iſtæ nobiliſſimæ danſæ non permittunt quenquam vivere in dolore, in triſtitia, nec in melancholia: imo ſemper reddunt hominem jucundum, hilarem & gauden-

dentem. Quare in præsentiarum huic ſcientiæ diligenter navare: & ſi quicquam incultum, rude ac ignavum laboraverimus, hoc non ignoranciæ, ſed hujus ſcientiæ difficultati aſcribendum cenſeatis. Ea enim quæ maxime difficilia ſunt ſolent interpretes ſermone trito ac pene vulgari declarare: ne quod ignotum & obſcurum eſt, ignotius & obſcurius reddere videantur: inquit tamen etiam gloſſ. in l. conſentaneum C. quomodo & quando judex. quod humanum eſt peccare: ſed diabolicum eſt perſeverare, & eſt text. in l. 2. §. ſi quid autem. C. de vete. jur. enuclean. quod in omnibus benedicere, & in nullo claudicare potius eſt divinitatis, quam humanitatis, Valete.

IDEM
AD
LEGUM DOCTORES,

Iam redeunt lassæ brumali tempore Nymphæ:
Iam fastidius despice bruma nives.
Iam jam prata virent: jam jam sacra flumina rident:
Cypria jam tendit carbasa lata Venus.
Antra canunt, resonant sylvæ, jam florida rura:
Profert divitias aurea terra suas.
Iam gaudent sacris Nymphæ colludere in antris,
Exulto nostris sic resonare sonis.
En ego concepi pigro sub frigore versus,
Qui doceo tardos rite movere pedes
Si vacat indignis præberi cantibus aures,
Nunc placida nostros sumite fronte sales:
Arte ducent choreas perfecte currere tritas,
Vtque rotet dextra grata puella manu.
Doctores agitare precor mea carmina justo
Iudicio, variis non caritura lupis.

IDEM

IDEM.

Salve Cæsarei doctor celeberrime juris,
Cui jus Pontificum docta Minerva dedit
Hæc duce Gorgoneos hausisti fonte liquores,
Musarumque chorus plurima dona tulit.
Te docuere omnes musæ Græcæque Latinæ,
Ingenium laudat docta Tholosa tuum.
Faustos decoras omni virtute parentes,
Et patriam totam progeniemque tuam.
Accipe quæso meas guerras, dansas quoque gayas,
Quas dedit in lucem nostra Minerva modo.
Si tuus incultum quicquam nunc lusit Arena,
Parce tuo servo, docte Calete vale.

Omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit id de quo disputetur. Ita inquit Tullius Romani eloquii maximus author offic. Lib. 1. & ita sentit Iurisconsultus in l. j. ff. si cert. peta. Licet tamen omnis definitio in jure sit periculosa. l. omnis diffinitio. ff. de re. jur. adeo ut nulli doctores bassæ dansæ diffinitionem aggredi hactenus fuerint ausi, ego tamen inter doctores dansantes minimus dabo definitionem quæ judicio doctorum citramontanorum & ultramontanorum non erit periculosa, imo tuta: quod non erit mirum propter glos. in l. Gallus ff. de liber. & posthu. quando dicit, quanto juniores tanto perspicatiores. Quare volente Deo ad di-

dictā diffinitionē ipſius danſę me converto.

QVid eſt danſa? eſt una groſſiſſima conſolatio quam prendunt bragardi homines cum bellis garſis ſive mulieribus danſando, chorifando, fringando, balando, de corpore gayo & friſco, quando meneſtrius, carlamuarius, flotairus, juglairus, tamborinarius, baſſas & hautas danſas, tordiones, branlos, martingalas & alias ſautarellas tocat, ſiblat, carlamuat, fifrat, tamborinat, harpat, rebecat, floutat, loudat, organat, cantat de gorgia, de carlamuſa clara de carlamuſa ſurda, de flouta de tribus pertuſis, & de flouta de novem pertuſis, de fifro, de ribeco, de lobaiſo, de larpa de doſayña, de chalamia, de trompetis, de corneto, de claverio, de organis, de eſpineta ſola, de eſpineta organiſata, de manicordio de eſcacherio, de chiplachaplo, de fonſonia, de calamela, de ſaccabotis, de viola, guiterrā de lendo, de clavicordio, de ſauterio, de tamborino, de tymbalis, de cimbis, de coro, de flaviolo: & ſic de aliis inſtrumentis quæ ſunt ſimilia per totam rubricam. ff. de fide inſtrumentorum.

DEclaro iſtam definitionem. Dixi quod danſa eſt una groſſiſſima conſolatio: quam prendunt homines danſando cum bellis garſis: intellige quando danſamus à l'vſanſa de Franſa & de Provenſa: nam in omni-

omnibus partibus Franciæ Provinciæ homines dansant publice in domibus & in plateis, & per carrerias simul cum mulieribus tenendo eas per manum. Sed in Hispania & in Italia, ubi sunt homines multum gilosi sive zelotypi, homines nunquam aut rarissime dansant cum mulieribus: sed homines soli cum hominibus dansant: la quala causa est una grossissima truffa & bigerria, imo quod est pejus, puellæ nobiles & de estoffa quæ non sunt materitatæ quasi nunquam exeunt extra domum. O beata Francia o bragardissima Provincia quę est patria plena bonitate, castitate, & sanctitate: & ideo quia est paisus sanctissimus plenus bonis gẽtibus, plures sancti & sanctæ voluerunt habitare in nostra Provincia: & primo S. Anna mater virginis Mariæ & est in ciivtate Atensi. Secundo Maria Iacobi & Salomæ sorores virginis Mariæ quæ sunt in civitate dicta Lasmarios juxta mare posita. Item diva Maria Magdalena quę est relevata honorifice in civitate de sancto Maximino, ubi est etiam una ampula plena de sanguine Iesu Christi quem in die Veneris sancta videbis perfecte rubeum. Item sanctus Lazarus est revelatus in triumphantissima civitate Marsiliensi. Itẽ sancta Martha quæ est relevata multũ riquissime in civitate Tharasconensi. Item caput beati Antonii quod singulis diebus facit ma-

magna miracula,& est relevatum in bragardissima civitate Arelatensi: & sunt plures alii sancti in nostra Provincia quos hic causa brevitatis prætermitto.

Item declaro: Dixi quod dansa est grossissima consolatio quam prendunt homines dansando cum mulieribus: non intelligas quod homines capiant voluptatem & solatium propter puellas, ne puellæ propter homines cogitando ad incarnationem,quia esset peccatum: sed intellige quod capiunt consolationem & gaudium propter alacritatem & allegrissimam sive melodiam soni quem facit flouta & carlamusa, quando tocantur & siblantur: nam quemadmodum bonum vinum purum lætificat cor hominis, ut dicit glo. in l. 1. ff. de pericu. & commod. rei venei. ita guaya dansa est allegra. & letificat corda hominum, & dansa de se sola non est mala nec prohibita, prout videmus singulis diebus de facto: imo est consuetudo præscripta inter gentes: nam populus usus est bona fide choreis sive dansis tanto tempore, de quo non extat memoria hominum in contrarium: & talis consuetudo vim legis obtinet. textus est, in l. 1. §.fin. ibi Vetustatem legis obtinere. ff. de aqua pluvia arcenda, cum simili. Sed si dansando cum mulieribus cogites ad malum, erit peccatum, & illud non erit de

ma-

materia danſandi ſive choreandi, ſed extra materiam. Nam ſicut ars notariatus facta prout debet fieri, eſt bona & approbata, ſed quando notarius committit falſitatem, eſt mala & prohibita, & ille non dicitur de arte notariatus, ſed extra artem. Item ars apothecariatus eſt bona quando eſt facta prout debet fieri, ſed quando apothecarius fraudat medicinam, ponendo unam drogam pro alia, puta falſe qui pro quo, illa tromperia vel falſitas non dicitur de arte medicinæ nec apothecariatus, ſed extra artem, & ſic eſt de danſis & de aliis artibus: Nam ſi danſes cum bellis puellis & cogites ad malum, & continues in illa mala cogitatione, peccas, & Dominus Chriſtus ſe corroſſat: ſed ſi non cogites ad malum, vel non continues in illa cogitatione quam primo habuiſti, non peccas, quia quandoque animus etiam invitus polluitur pravis & iniquis cogitationibus, quia primi motus non ſunt in poteſtate hominis: & ſecundum ſacram ſcripturam, & ſecundum jus canonicum & civile eſt permiſſum unicuique reſpicere bellas fœminas & garſas, dummodo reddat humiles gratias omnipotenti Deo qui fecerit tam bellas creaturas, & ita ego facio cum reſpicio eas oculo caritativo de drito & de traverſo ſicut conſcientia mordet.

IDEM

IDEM
DOCTORI MEDICO.

INter mortales medica venerabilis arte
Quos tenet ingenti terra benigna sinu.
Cui debet multum fœlix Vasconia terra
Et patriæ nimium terra beata fuit.
Cæsareis positis libris mea musa cupivit
Orpheis resonent ut mea plectra modis.
Nam licet interdum gentalem ducere vitam,
Quando voluptates tempora læta ferunt:
Nunc quia frondosi reviresçunt undique saltus.
Et magnum festum conficit omnis homo.
Venit pulchra dies & venit amabile tempus,
Quo juvenes choreas tripudiare solent.
Propterea medicæ tutum virtutis asyllum
Per lepidos cantat muscula nostra sales.
Quos tibi descripsi noscas ut avuncule quantum
Chare tui nostro pectore regnat amor.
Hinc ad te properant nostri monumenta laboris
Hinc velut ad numen missa libenter eunt.
Sumito parva licet : minimo quoque minima gaudent
Accipe sic voti spes tua compos eat.

IDEM

IDEM

AD

AMICOS.

O Bragarde volens danſandi prendere leges
De guerris bravis plurima ſcire quoque.
Libro fac ſtudeas ex totis viribus iſti,
Quo duce per danſas tu cito doctus eris.
Per docet iſte liber perfecte currere branlos,
Bragardas guerras dicit Arena quoque.
Lucanum ſemblat qui Martis pærlia cantat;
Tam bene de lingua guerregiare ſapit.
Ex nimio riſu forſaberis ipſe cacare,
Fringando verſus quando videbis eum
Eſt finus ruſtrus finus marchandius atque,
Pro garſis extat forte raſatus homo.
Laudas innumeras de noſtro rege recontat,
Laudando Franſam, conſiliumque ſuum.
Quod gentileſſas hic noſter contet amicus
La mea non poſſet muſa teferre tibi.
Hunc habeas igitur ſemper voluaſque libellum,
Et tua perſona ſemper alegris erit.
Perpetuo nobis Chriſtus conſervet Arenam,
Danſarum ſemper lo Capitanus erit.

EPI-

AD EPISCOPVM LVGDVNENSEM, &c.



O Deus omnipotens fortunam quando tuabis,
Quæ fuit in guerra nunc inimica mihi?
Perdere garsetas omnes fecitque cavalos,
In campo Romæ quando batailla fuit.
Atque ego pensabam personam perdere charam,
Sed bene gardavit tunc mea membra Deus.
Nam Christum dominũ de grando corde pregabar,
Et sanctam matrem fortiter atque suam,
Omnes & sanctos & sanctas de paradiso,
Grandus devotus atque fidelis eram.
Dum timet unus homo quod mors non occidat ipsũ
Sanctus sanctus adest respiciendo Deum.
Passato lo malo post est gabato le santo,
Non curat nimium rursus amare Deum.
De tali guerra non escapare putabam
Et mihi de morte granda paora fuit.
Pou pou bombardæ de tota parte petebant
Dixisses nigrus ille Diablus erat:
Tif taf tof & tif dum la bombarda bisognat,
Garda las gambas ne tibi blesset eas.
In terram multos homines tombare videbam
Testas & brassos atque volare pedes.
Non espargnabant ullos de morte ferire,
Quem non blessabant ille beatus erat.
A lassaut à lassaut semper trompetta sonabat
Coragium cunctis grande tocando dabat.
Et tuba terribili sonitu taratantara parlat
Alala trilitota dandara tarlarola.

Atque

Atque tabussabant per campum timpana plura,
Siblabant etiam plurima fifra bene.
Contra Romanam, villam tunc forte frapabant
Arcabutesando lurda bugada fuit.
Semblabantque canes matinos atque leones
Cum propter dentes enrabiare solent.
Sed nos de Roma multum rebutavimus illos.
In prima furia Roma bativit eos.
Atque levavit eis tunc estendardia quinque,
Et tulit ad castrum, sed trahynavit ea.
Et male tostensum habuerunt mille ribaldi,
Mille carentenas ipse tuavi ego.
Et contra ipsos attillaria nostra rirabat
Bombardisando rite tocabat eos.
Nunquam mancabat multos de morte ferire,
Omnes tombabant respiciendo nihil.
Et costas duras multum expossavimus illis,
Corporibus mortis terra cuberta fuit.
Grandas balaffratas per gautas atque dabamus,
Fecimus & vistam forte fogare suam.
Fortiter & testam merumque macavimus illis,
Ponchas de pedibus mille dabamus eis.
Et suus in terram tombavit tunc capitanus,
Vna harcabuta grossa tuavit eum.
Vltra lo Timbrum valde chaplavimus illos,
Lo mortalagium dicere nemo potest.
Nos semel in fuitam totos botavimus illos,
Atque recessisse, Roma putabat eos.
O maledicta dies dum se fortuna reversat,
A de profundis usque menare solet.
Si fortuna volet, fies de Consule Rhetor,
Et si sis pauper ipse beatus eris.
Te fortuna Deum facimus, cœloque locamus,
Ad placitum semper perficis omne tuum.
Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas,
Tu dicis quando la tua testa fogat.

Gastasti

Gastasti Romam tu defortuna ribalda,
Contra rasonem abotinata fuit.
Intrarunt Romam per forsam mille rebaldi,
Parcere qui paucis tunc voluere viris.
Crede capellanos, monachos, morgasque necabant,
Testiculos etiam guerra copabat eis.
Sed bene debebat etiam trenchare priapum,
Bellas garsetas nocte dieque tenent.
Et totam Romam raubabant atque pillabant,
Crede robaverunt omnia templa Dei,
Atque cruces, calices, sancti Petri quoque capam
Paces, reliquias, omnia sacra simul.
Tunc ibi vidisses tricentum mille ribaldos
Nostram quærentes ense copare gulan.
Quare ad Castellum Santagni me retiravi,
Fortunam vidi quando venire malam.
Crede mihi valde fuit id miserabile visu,
Nam per borrelos Roma pillata fuit
Despiecelarunt tercentum mille dosellas,
Fecerunt cunctis crede volare tapum.
Tarrabustabant fillas terribile forte,
De bistocando maxima guerra fuit.
Mal bene li faciat paillardis atque ribaldis,
Illis det quæso la mala Pascha Deus.
Tunc erat in castro multum gaillarda brigata,
Namque Rotæ domini, Papaque sanctus erat.
Ramsus gardabat tunc portas sagius ille,
Qui defensavit Massiliamque bravam,
Et semper semper clamabat Francia vivat,
Omnes vincemus spero juvante Deo.
Post contra Castrum fuit & fortuna reversa,
Apontamentum prendere forsa fuit.
Forsa fuit nobis etiam dimittere Romam.
Vidit traysonem Fransa venire malam.
Ad bagas salvas & tunc sortivimus omnes,
Et milites flebat Roma benigna suos.

In Ca-

In Castro sanctus sed tunc lo Papa remansit,
Qui male tractatus pauperiterque fuit.
Quot mala Romanis dederit Hispanica guerra,
Nulla unquam posset Musa referre tibi.
Papam fecerunt arransonare ribaldi,
Espessare velit colla diablus eis:
Et prissonerium tenuerunt tempore longo.
Post perdonnavit ipse coactus eis.
La mala bossa precor omnes estranglet ad unum,
Et maluradveniat lo cagasanguis eis.
Si Deus ad cœlum se præsto non retirasset,
Per prisonerium crede pillatus erat.
Tunc per coletum pensabant prendere Christum,
Id per consilium passaveratque suum:
Sed Deus ad cœlum confestim se retiravit,
Bombardas vidit quando tirare malas.
Escalam cœli rursus deponere jussit,
Sursum montare ne mala turba queat.
Sed quia mancarunt dominũ dependere Christum,
Cœperunt rursus vicarium lo suum.
Lento cuncta gradu semper Christus mala punit,
Is sine defectu crede pagabit eos.
Si saubivissem quam suassam guerra la donat,
Non la trotavissem nunc tibi juro Deum.
Per testam frapat, per gambas, omnia rumpit,
Atque tuat gentes respiciendo nihil,
A pede tornavi mesquinus tunc sine lansa,
Ferlorum bigot paupera guerra fuit.
Ad patriam tornare meam me fecit egestas:
Nam miser & pauper atque belistrus eram.
Vnum denarium non me trainare videbam,
Espadassatus & quasi nudus eram.
Esclatusque fui multum & lassus veniendo,
Inflatosque meos semper habendo pedes.
Me detrossabant veniendo sæpe racagni,
Sercando corpus fortiter omne meum.

Et mihi

Et mihi per testam donabant bastionatas,
Quod mihi gravabat & male forte fuit,
Oj oy cantabam, los copos quando pillabam,
Et nostrum semper flebile carmen erat.
Et non audebam de lingua dicere motum,
Quamvis barratas tunc mihi mille darent.
Plus mihi dicebant te ransonabis Arena,
Aut erit à collo testa copata tuo.
Tu pensare potes si te conscientia mordet,
O qualem cheriam tunc remanebat ego.
Omnia crede bona pro resquivare la mortem
Omnis homo donat plaidegiando nihil.
Sic ego fecissem, tunc totum crede dedissem,
Multum lo passus mortis amarus inest.
Post me laissabant cùm nil trobare valebant,
Sensa denariis bursia semper erat.
Tunc per amicos ibam in demandando ma vitam,
Me præsentabam quod mihi forsa fuit,
Parlabam bene mesclando mendacia veris,
Vt possem fructus ventris habere mei.
Piccas quis docuit hominum parlare parolas?
Venter gormandus dum habet ipse famem.
Et mihi tunc populus totus pendebat ab ore
Quando recontabam tristitia facta mihi.
Quicquid ajunt homines intentio iudicat omnes:
Spes mea parlando vivere sola fuit.
Vtilius regno est meritis acquirere amicos,
Fac bene si possis omnibus ipse viris:
Nunquam perduntur servitia facta prodato,
Reddit homo gratus la bene facta sibi.
Montes immobiles nunquam se crede recontrant,
Se incontrant homines quandoque rite vides.
Grandas vituaillas, sed non robare valebam:
Est fere de Christo perditus omnis amor.
Tunc jejunavi per forsam mille vegadas:
Vt lupus in campis tunc affamatus eram.

Tem-

Tempore fœlici multos numerabis amicos,
Si fortuna perit, rarus amicus erit.
Ille beatus adest riquessas qui tenet amplas,
Pauuretam gentem nemo videre potest.
Pro lucro tibi pone diem quicunque laboras.
Fauta d'argencu est dolor impareillus.
Prendere me in casa nullus de nocte volebat,
Per las carrerias sæpe cubile fuit.
Friscus eram tous tremblando corpore multum,
Frigidius glacie pectus amantis erat.
Oy mater de Christo omni la nocte cridabam,
Frigore de grando mane gelatus eram.
Omnia passavi tunc tunc tormenta laborum.
Infinita mala hæc mihi guerra dedit.
Iurabam semper nunquam me guerra tenebit,
Escapare semel si mea vita potest.
Sensa mentiri vobis hic prædico vetum,
Fort male contentus ad revenire fui.
Sed rursus socii tornando de la le montes,
Trendendo pagam Rege redante bonam,
Me debaucharunt in sermonando la testam,
Propositum faciunt vertere verba bonum.
Debauchatus homo socios debauchiat omnes,
Sunt juvenes faciles pro faciendo malum.
Sic magis ad guerram & me adventurare putavi,
Meque remontare mens mea semper erat:
Et cum Lautreco domino post me sociavi
De toto campo qui Capitanus erat.
De la les montes iterum marchavimus omnes,
In tali guerra genta brigata fuit.
Ipse cavalerius per campum me rigolabam,
Gentigalandus semper Arena fui.
Gendarmæ bragant per paysos regaillosando,
Cregnere se faciunt ut focus atque focus,
Bravegiant, jurant, menassant, sæpeque frapant:
Et pauuras gentes tunc male tempus habent.

Vilans,

Vilans, paillardo, tacane meissanti atque ribaldi
Pro banquetando la vitua illa trotet,
Et si paysanus gallinas non cito portat,
Trenta bastonatas tunc sua testa capit.
Est pro gendarmis bragardis grossa polailla,
Semper grignotant vina bevendo bona.
Grans gentilhomines se appellant undique toti,
Signorias nullas & bona pauca tenent.
Multoties faciunt arransonare lagentem,
Nolunt donare quando libenter eis.
Italiam totam præsto gagnavimus inde,
Præter Milanum non voluimus eum.
Genua nostra fuit claves portavit & ante,
Clamando forte Francia parce mihi,
Et pia Fransa fuit, perdonem tunc dedit illi,
Et tanquam filiam tunc recibivit eam.
Daumagium grossum sentivit Papia docta:
Tunc per gendarmas abortinata fuit.
Sum damnum, certe nimium fuit ipsa rebellis,
Et Regi nostro pessima damna dedit.
Ad Naplum celeres rursus marcavimus omnes,
Tunc grandus trahinus grossaque braga fuit.
Lautrecum dominum cregnebant como diablum
Gentes de payso quando somabat eas.
Tunc omnes villæ sibi glaves ante ferebant,
Et se rendebant corde volente bono.
Et magnum cherubin lo paysus ly remanebat,
Sis bene venutus noster amice precor.
Patria mandavit quod præstiter ipse venires.
Fransam demandant Napolitane genus.
In pogio realo fuerunt tentoria nostra,
In granda brega tunc ibi campus erat.
Incontinenti potest cœpimus esse maladi,
Ullus gendarma non bene sanus erat.
Impognabat ibi nos omnes pessima febris,
Quæ plus malvaisa quam mala pestis erat,

Vai-

Vairolam grossam, seu mavis dicere bobas,
Lo mal de Naplus impegolabat eos.
Cancrosus homines, plures garsasque videbam,
Invenissatus forte priapus erat,
Et gayas bossas de compagnone tenebant,
Quæ los gardabant de culetare nihil,
Barbarius caugas implaustras atque ficabat:
Impegomassatus sed nihil ipse fui.
Guttosos homines plures clamare videbam
La gottos faciunt forte cridare viros.
Oy ventres, plages, ô feges, ô mala gutta,
Oy oy las gambas, ô mala gutta tace.
Reliquias aliqui portarunt deça le montes,
Per totum mundum grossa variola vogat:
Et faciunt plures totum refundere corpus,
Estubas, drogas la medicina petit.
Tunc erat in campo pietas grossissima certe,
Nam sine rasone mors remanebat eos.
Nostras personas brulabant atque calores,
Multum chaudassus paysius ille manet:
Cum perdutus ero nullus me quærat in illo,
Ordius & brutus & male sanus adest.
Gagnavissemens de Naplo tunc puto villam,
Sed totus campus forte maladus erat:
Tum propter febres meissantes atque bevendas,
Naplus nam totas imposonavit aquas.
Nos etiam nimium certe chaumavimus ante
Sensa dare alarmas, aut à l'assaut à l'assaut.
Naplum de facto nos assegiavimus inde,
Audebat nullus atque faillire foras.
Et pensabamus tunc affamare la villam,
Renderet & quod se sensa frapare nihil.
In prima furia quando arribavimus illic,
Si picavissemus omnia nostra forent,
In prima furia Francesi tot ita rumpunt,
Vincere non posset tunc lo diablus eos.

Lautrecum dominum febris post grossa tuavit.
Daumagium nobis mors sua grande fuit.
Bagagium nostrum totum perdivimus illic.
Nescit quid faciat crede maladus homo.
Fecimus & multum de rescapere la vitam,
In gran dangario la mea vita fuit.
O Deus atque Deus quid vis quod nos faciamus?
La mala fortuna nos bacaare putat.
Omnes gendarmæ sumus dc paupere regno,
Nos alias melius Christe juvare velis.
Maxima enim morum est semper patientia virtus
In defortunis coragiare decet.
Omnia pro meliori nos mala multa sufrimus:
Quos amat in terra castigat ipse Deus.
GEnua cum vidit tales contare novellas,
Quod noster campus destrainatus erat,
Omnes banderias contra nos ipsa viravit,
Incontinenti tota rebella fuit.
Genua tu nimium varias nimiumque revoltas.
Tu male tostensum quaris habere modo:
Mane petis fransam, de sero teque rebecas,
Vt ventus variat sic variare soles.
Tu te repentibis tam cito te rebecasse,
Te charpinabit Francia tresque bene.
Ad saccum & saccos totam nisi Francia ponat,
Vnquam non poterit crede videre botum.
De vitiis plena est trumpantibus atque magagnis
Pro Fransa nunquam firma manere potest.
Si mihi rex credat nos esquinabimus illam,
Et plus de testa non mala tanta dabit.
Argentum, plumbum la puntamenta redressant,
Placatur donis Iuppiter ipse datis,
Andreas Dorias etiam nunc se rebellavit,
Dequo fisabat Francia tresque bene.
Quantumcunq; potest contra nos atque malignat,
A la fine tamen Fransa crocabit eum.

Francia

Francia nostra manet de tota parte trahita,
Quod pensat fidos sæpe trahire solent.
A torte faciunt à torte seque rebecant.
Nam tractat gentes Francia rite suas.
Istus Rex noster est de bontare replentus,
Bragardus bravius, estque valentus homo
Non est in mundo rex plus gaillardior ipso,
Per forsam nullus vincere posset eum.
Extat homo grandus valde bellissimus atque,
Regalem trahinum semper habendo bonum:
Est bene formatus, recte de corpore factus:
Defecit in nihilo forma virilis ea.
Omnes virtutes de mundo possidet ipse,
Est plenus totus de charitate bona.
Hic leges sanctas scit omnes atque ministrat,
Lo princeps semper omnia jura sapit.
Alter Aristides dictus cognomine justus
Ad populum tortum non facit ipse suum.
Rex multum justus valdeque bonissimus extat,
Et nihil in terra sanctius esse potest.
Escrolas sanat qua circa colla morantur
Tangendo digitis auxiliante Deo.
Et quicunque manet Rex Fransæ, is sanat illas,
Quod præter Regem non facit ullus homo
Sagius & prudens, discretus estque benignus,
Et nihil in mundo dulcius esse potest.
Dulcia verba tenet & sunt sine crimine mores,
Et tenet in Fransa consiliumque bonum.
Vetus devotus de Christo est grossus amicus,
De vero semper servit amore Deo.
Ecclesiam semper defendit Fransa valenter,
In sedem Papam restituitque suam.
Roma fuit quondam per Turcos sæpe pillata,
Sed Rex de Fransa post relevavit eam.
Vidimus in libris nostris, semperque videmus,
Quod reges Fransæ sustinuere fidem.

Sic facit iste modo: nam Romam justinet ample,
Atque fidem semper multiplicare cupit.
Sed fuit in guerris sibi nunc fortuna reversa,
Venditus in guerris ut Deus ipse fuit.
Quod fuit id factum per traytos forte malignos,
Sed la suam vitam perdere constat eis.
Francia si nullos traydores nostra teneret,
Iam mundi domina totius ipsa foret.
O trayfone Dieu ti maldio quæso ribalda,
Ad nostram Fransam tu facis omne malum,
Vnquam de traytis non se defenderet ullus,
Quos pensat fidos quando trahire volunt,
Nulla manet pejor pestis quam fictus amicus.
Non odium gravius quam simulatus amor.
Vt Iuda de Christo fuit olim falsus amicus
Oscula donando quando trahivit eum,
Sic faciunt aliqui de nostro rege beato,
Verbo sunt fidi: corde trahire solent.
Tales paillardi deberent esse brutali,
Et sine mercede morte perire mala,
Sed Deus est justus grandus guerrerius atque,
Omnes compensat ut sua facta merent:
Sic modo paillardos traydores destruet omnes
Et sine defectu crede tuabit eos.
Et post ad Regem mandabit grande secorsum,
De nostra Fransa grossus amicus adest.
Post varios casus, post tot discrimina rerum,
Ad Fransam semper adjuvat ipse Deus.
Sic modo Franciscus Rex Fransa lilia portans
Omnes gagnabit spero juvante Deo.
Poyssansam Regis nunquam tibi dicere possem,
Fransa valet tot quot Rex perit atque jubet,
Ergo bonum teneas in guerris Fransa gouuernum,
Et te de traytis: avisiare velis.
Arma foris faciunt modicum si condita non sit,
Consilium prudens vincere sæpe facit.

Plures

Plures fanfarras alias tibi dicere possem,
Sed mihi plus testam rumpere nullo meam.
Et quia passavi per guerras mille dolores
Ad guayas dansas me retirare volo,
Et retro espalas omnes botare dolores,
Si possim multum semper alegrus ero.
Me donare volo post hac de tempore grasso,
Vivere nos multumgaya vita facit.
Ocia corpus alunt, animus quoque pascitur illis,
Immodicus contra carpit utrumque labor.
Iamque meum corpus se detestare requirit,
Enrabiat dansas de tricorare modo,
Et plus mortales nolo describere guerras,
Id mihi tristitiam tradere nempe solet.
Quare nunc sequar musas fantasia nostra
Quæ mihi continue gaudia ferre velint.
Sed quod se quærebam cognovit Iupiter ipse
Confestim Musas misit & ille mihi.
Quæ mihi jusserunt posito cantare dolore
Iam peto materiam dulcis amice bonam.
GEntigallantes sunt omnes instudiantes.
Et bellas garsas semper amare solent:
Et semper semper sunt de bragantibus ipsi
Inter mignonos gloria prima manet.
Banquetant, bragant, faciunt miracula plura,
Et de bonitate sunt sine fine boni.
Bragum bragayno de toto corpore fringant.
Rustariam grossam semper ubique menant.
Et totum mundum defendunt atque gouernant.
Mundum præsentem sanctia jura regunt,
Et faciunt plures bellas sautare ribaldas.
Rumpendo portas quando la baga valet,
Et post per cambras embrassant atque tabussant
Si non sit lectus terra cubile facit.
Riblarias grandes faciunt los instudiantes,
Teulissas montant cum bene porta tenet.

Sunt liberales garsetis plurima donant,
Et vendunt libros quando necesse venit.
Ingagiant robas Iudæis hic Avinione,
Quando clicalhas non sua bursa tenet.
Grandes despensas faciunt los instudiantes,
Scire bonas leges plurima constat eis.
Constat grandamentum d'entre tenere la garsam,
Agas & bagas semper habere volunt.
Atque calignando bene sunt in amore fideles:
Numquam dessalant nec variare solent.
Defendunt dominas & garsas usque la mortem:
Cum quis eas false vituperare putat,
Non trompant aliquos quia sunt de gente bonica:
Totus homo studians est bonus atque bonus.
Arma virumque tirant Trojam qui primus ab oris
Barratas donant qui male fereat eis.
Qui sibi debatos vel bragas sercat habere
Incontinenti guerra paratur ei.
Follibus & faciunt præsto pensare caquetum:
Contra rasonem quando bravare volunt.
Avinione vides dum bragant instudiantes,
Grandes merueillas tunc agitare solent.
Fecimus hoc anno totam tremblare la villam,
In grossis armis fortiter ipsa fuit.
Sed te scire decet quod nos hic omnibus annis,
Sancti Bastiani dum venit ipsa dies,
Tunc pro bejaunis abbatem rite creamus,
Qui contra petram forte baculat eos.
Inter nationes est tunc la maxima guerra,
Abbatum semper natio quæque petit.
Quando creant illum tunc est totum jus in armis,
Qui melius frappat ille reportat eum.
Et petit abbatem semper Provincia nostra,
Los Provensales genta brigata manent.
Provensalus adest abbatus hic quasi semper,
Nos nisi la villa garbugiare velit.

Inter nationes fuit & tunc maxima guerra,
Nam de parte sua quæque volebat eum.
Lagatus dominus sed tunc intendui t ipse.
Nostrum debatum qui bene grandus eat.
Et se alteravit multum guinando la testam
Contra nos omnes corrociatus erat.
Cum male res vadunt sibi tunc altaria fumant,
Non suffrire potest quod malus ordo tiret.
Est bonus & prudens, discretus, sagius atque
Et multum tempus ponit amando Deum.
Et non vult cuiquam quod totum conficiatur.
Iustitiam cerquat semper habere bonam.
Et c.to mandavit totam trompare la villam,
Cum grossis pœnis facta la crida fuit.
De corda centum strapatas omnis haberet,
Si quis das studians arma valenta ferat.
Viguerio misit post Iudicibusque peritis,
De nobla villa Consulibusque bonis.
Quod tractare velint inter nos ponere pacem.
Et quod de abbate prælia nulla forent.
Talibus acceptis propete gens sagia parla:
Consilium villæ tunc bene grande fuit.
Conclusumque fuit parlamentando per omnes
Contra istam guerram remediare decet.
Nam studiantes mutinabunt forte la villam:
Si bene las dentes non revitamus eis:
Fecerunt præsto tunc acapare la gentem.
Omnes desenas atque levare cito,
Et bene vidisses populum se ponere in armis,
Saillire in campis arma roylosa bene.
Marchare in bataillа pauci de gente sciebant
Et corrossatus lo Capitanus erat.
Et valde escumabat in ordinando la gentem,
Assogatos erat forte cridando quoque.
Avant artassus camino ou planto canaillo
Alordanensa quisque trotare velit:

Espasas, picas, alabardas & gevelinas.
Grans albarestas, astia longa quoque,
Et male pennatos matrassos atque tirabant:
De passadoris Luna tocata fuit.
Areos plegatos qui sunt de fustibus atque,
Qui longas flechas rite tirare solent.
Da manibus longas espalas atque duabus,
Que fere taillabant undique parte nihil.
Longos estocos & dagas atque cotillos,
Pugnales, lansas, espia ferta quoque,
Et male forbitos verdusos rite tirabant.
Achas barcatas atque valendo nihil.
Et bragomardes vieillossos vougius atque,
Rancones etiam non taliando bene.
Raperias largas amolatas & nihil unquam,
Cultios de gieto qui pecus omne tuat.
Et perte sanas furiosas ut homo mortus,
Hastas ponchutas pro faciendo malum.
Curassas ferri vieillas cotasque maillatas,
Et mando sainas gorretiasque male,
Atque alacretos ruillosos nilque lusentes.
Gantos de ferro testariasque malas.
Pauros bloquerios & targas atque rudelas
Sangos te dessis qui male crede copant.
Et largos etiam plures de fuste pavetos,
Quos per muraillas villa botare solet.
Et bragantinas lordaudas campus habebat.
Escaravissas atque valendo parum.
Et bassinetos recte gardando la testam
Secretas etiam incabanabat homo.
Aumetos plures ponchutos atque ferebant,
Salatas nigras testa ferendo quoque.
Atque simaterras multum de cuspide tortas,
Quas de una tantum parte copare vides.
Magnos scopetes cortandos & colobrinas,
Grossos mailletos quæ regitare solent:

Bom-

Bombardas grossas, canones, passavolantes,
Arcabutesando granda la guerra fuit.
In gran borbolio fuit, & furor arma ministrat,
Restancare viros nemo valebat eos.
Tunc aliquæ gentes de villa forte bravabant,
Tramblabant mundus luna rotunda quoque.
Cum furiunt gentes bene tunc arnesia fogant,
Corrossatus homo nescit habere modum.
Per totam villam remplebant cornua bumbis,
Per las carrerias omnia fumus erat:
Sed tamen à l'ora blessatus non fuit ullus,
De tali guerra grossa rialla fuit.
Auinion felix est bragardissima villa,
Nobilis & sancta perpopulosa quoque.
Si quæras bellas mulieres sive puellas,
De bellis garsis una garena manet.
Sive petis juvenem, juvenes tibi mille placebant:
Dicere nescires quem tacunare velis.
Ipse suas nunquam possem describere laudes
Hæc habet ut dicas quicquid in orbe fuit.
In Provensa nostra etiam sunt instudiantes,
Plures fanfarras qui fabricare solent:
Sed Parlamentum savium sapienter Aquense
Los taisare facit justiciendo bene.
De Parlamento bragat Provincia nostra,
Grandem iustitiam nam facit atque brevem.
Suntque Tholosani studientes forte valentes,
Per totum mundum la sua fama volat,
Debotum faciunt homines estare par urbem,
Cregnere se faciunt ut focus abrasatus.
Plures in numero sunt, bragat docta Tholosa,
In jure studia maxima semper habens,
Multotiens guetum de facto ribrundant.
Atque cotillatas dant sibi sæpe bonas.
Sic ego passatos vidi de tempore nostro,
Grandas frasselatas sæpe dabamus eis.

Se quarrant juvenes mundini forte friantes,
Bragarias grandes pulchra Tholosa menat.
Conductas faciunt de garsis multa legendo,
Grandes materies expediendo bene.
Et rumpunt portas cum tempus postulat aut res,
Nocte gogetando grossa la briga tirat.
Sed Parlamentum tunc corrassere videres:
Quando rancuras qualque gogeta facit:
Sed post quando sapit quod sunt los instudiantes:
Qui faciunt garsas tamborinare bene,
Tunc sibi succurrit juvente quid fecerit ipso,
Plura juventute parcere nempe decet.
Tu modo cognoscis qui sunt los instudiantes,
Sunt flores mundi semper amando Deum.
Hoc tamen est verum quod legum propter amorē,
Sunt quasi bannati de patria la sua.
Arriscos grandes & mille pericula passant,
Sæpeque la restant dum revenire putant.
Iuraque discendo patiuntur frigora magna,
Ac alias causas quas modo Musa tacet.
Dimittunt patriam dulcem charosque parentes,
Fratres, ac alios quod bene gravat eis:
Al despariendum de la maisone parentes,
Valde suspirant corde dolente satis,
Et dulces matres los baisant atque rebaisant,
Atque pater lachrymans tunc benedicit eos.
Et dum cavalcant muletum sive cavallum,
Dare esperonis atque frapare volunt.
Tunc veniunt lachrymæ, se plorant namq; parentes
Et pro congedio hæc bona verba canunt:
Heu vade mi fili, te Christus quæso gubernet,
Tempora non perdas, stultus inesse cave.
Prende bene & leges: non est reparabile tempus,
Plorabit stultos tarda senecta dies.
Qui scit laudatur, qui nescit vituperatur,
Ignarus multum deprisiatur homo.

Spes

Spes mea tota manes, jam jam me forte senesco,
Me gouuernabo quando vieillus ero.
Tu mihi jam constas plusquam de mille ducatis,
Pro te la bursa semper uberta manet:
Sed mihi nil grevat pro te despendere multum,
Dum tamen evadas ipse valentus homo.
Fas sis doctorus, cornetam tu quoque carga,
Incornutatus est bene vistus homo.
Lætificat patrem multum sapientia fili,
Sed mortem donat quando ribaldus adest.
Effuge meissantas compagnas atque truantas,
Qui stat cum sanctis sanctus inesse solet.
Esquiva putanas, bagassas atque ribaudas,
Cætera qui facies non rufianus eris.
Sis homo de bene, semper fili prod'homus esto,
Si sis paillardus non mihi carus eris.
Rumores fuge, nunquam sis te quæso brigosus,
Testam frapatam sæpe mutinus habet.
Infantes patres las matres atque benigne
Plusquam seipsos semper amare solent.
Heu dubitant semper ne fili damna reportent,
Res est soliciti plena timoris amor.
Vlterius faciunt omnes hic instudiantes,
Id quod trombabunt carmina nostra tibi:
Embalant libros per caissas atque banastas,
Mutant logicum mille remille vices.
Præsertim pestis cum vult frapare la villam.
Quæ sine bombardis plurima damna facit.
Debendare vides de tota parte la gentem,
Maignagium trahinat quando la bossa venit,
Corres carretos per villam forte rudebant,
Omnes las gentes tunc traficare vides.
Est maledicta mala pestis regina malorum,
Supplicium semper arbitror esse Dei.
Escapabant pauci frapati peste maligna,
Profitat ad pestem la medicina parum.

La fu-

La fugiunt medici cregnendo como diablum,
Christus po peste lo medicinus adest.
Non mallanegiant nimium los pestiferati,
Estoffat gentem pestis iniqua cito.
Estranglat bellas garfetas atque cabussat,
Nullos espargnat, enrabiata manet.
Est pietas grossa cum pestis regnat in urbe,
Dicere non possem quot mala bossa facit.
Sani arrapat is faciunt & mille rudessas,
Effugiunt illos sebuemendo parum.
Descassant etiam de villa præstiter illos.
Per forsam totum meinagiumque suum.
Clandere vel faciunt las portas atque fenestras,
Lo candenatum grandeque porta tenet.
A l'hospitalum vel illos quandoque mandant,
Plorando vadunt ô miserere mei.
Hospitaleri mordosos non bene tractant,
Nam sine gouuerno sæpe perire solent.
A largo, à largo, demourant pestiferati,
Me semblant ladros dum cliquetare solent,
A longe steterunt merito sed pestiferati,
Vna malada pecus inficit omne pecus.
Estopa murrum morbosos quando videbis,
Prenditur ut viscus pestis amara fere.
Pestiferatus homo perpaucos trobat amicos,
Tempore pestifero per omnis amor.
Patres de filiis tunc se approchare recusant,
Et patrem matrem filius atque fugit,
Quilibet à l'ora cregnit de perdere pellem,
Mors espavantat esglariatque viros.
Stare in villa quando est corrossata la bossa,
Est tentare Deum non refugire foras.
Tu cito fac fugias longe, torna quoque tarde,
Hæc est pro peste la medicina bona.
Plures escaperent si tantus non metus esset,
Sæpe timor homines sed facit ille mori.

Non

Non timeas illam tibi si contingat habere,
Dat tibi coragium sic cito sanus eris.
Numquam debet homo sanus pensare la bossam,
Sispicio casum sæpe venire facit.
Abillamenta feras nunquam de pestiferatis,
Per drapos pestis se tenet atque rapit.
Quadraginta dies de peste infectio durat,
Et plus, purgata si bene non sit ea.
Mortiferam pestem descassa tu bone Christe,
Christe neca bossam, nam mala multa facit:
Ipsa tuat semper sensa rasone la gentem,
Murterius debet morte perire mala.
Non facias totiens nobis mutare banastas,
Argentum costat de trahinare foras.
Ipse meos libros carregiare per orbem
Feci & cum bovibus milleque mille vices.
Facherias grandes studiantes sæpe repassant
Mutando libros bragagiumque suum.
Sint homines probi facito de peste magistri,
Non sint corrupti, vera referre velint:
Nec faciant etiam tunc ransonare la gentem
Quod faciunt plures infaciendo male.
Avisent etiam ne pestem pestiferati
Ponant, nam ponunt sæpe libenter eam.
Drapos infectos per villam nocte gitando,
Vt sanos etiam bossa rapare velit.
Grandes atque bonas gardias imponito portis,
La bona policia multa juvare potest.
In defortunis cognoscuntur marinari.
Propter patronum barca perire solet.
Pauperibus miseris omnes succurrite quæso,
Peste arrapatis auxiliumque dare.
NVnc ad propositum tornemus dicere verum,
Iurisconsulti sunt in amore Dei.
Si centum linguas parlantes ipse tenerem,
Non possem laudes dinumerare suas.

Gran-

Grancheriam temeant gaudiciando per orbem,
Et sanctam vitam gaudinelando tenent,
Vsando dansis & sermonando puellas,
Bragardisando tempora plura terunt.
Vivat amor, clamant, vivant pulchræque puellæ,
Et dansas semper timpana læta sonent.
Qui volet ergo bonas bassas apprendere dansas,
Et cito dansandi mestrus in arte fore.
Hunc bene de testa se forset discere librum,
Qui bene dansandi monstrat habere modum:
Atque decet juvenes de puncto currere dansas.
Et marchare pedes ordine rite suo,
Et quod non fautent dansam balando friantes:
Dedecus est magnum tripudiare male.
Sed volo rasonem tibi primo dicere nostram
Quæ me incagnavit scribere tanta modo.
Sæpe banquetis dansando cum dominabus
Passo libens tempus dulciter ipse meum.
Et video dominas pomposas atque puellas
Como d'agassos garrula verba loqui.
Tartavelando mulieres multa loquuntur,
Tarrim tarrello bartavelare solent.
Nepe trufant juvenes, seu moccant granditer illos
Qui bene non dansant, nec tricotare sciunt.
Brocardos donant al sotis atque marudis,
De durbecassis fœmina quæque ridet:
Et semper dicunt illi sunt pecora campi,
Sunt grandes & adhuc non choreare sciunt.
Tornent à l'escolam pro bene prendere dansas,
Vt trotare pedes ordine rite sciant.
Et mestrus travas in gambis ponere curet,
Vt facit emblator quando docentur equi.
Quare non possum plus referare mon iram,
Quin doceam juvenes tripudiare bene.
Si natura negat facit indignatio versum
Propter despectum vir facit omne malum.

Nam

Nam plures gallandi se ad dansare remisclant.
Et bassas dansas non ch oreare sciunt.
Isti falotoni qui dansant tempore nostro
Sansa tamborinis, omnia scire cudant.
Vltracudati trumpantur cum putatiuis,
Sæpe idiota bravat, & nihil ipse sapit.
Quare se infrascant tales dansando per aulas:
Et troublant alios tripudiando male:
Nam currunt currunt ut ventus quando rebuffat,
Aut tibi se plantant currere quando decet,
Atque solent nimium tarde garare bonetum,
Vel nimium prasto surgere sæpe volunt.
Ergo qui vultis vos callignare puellas,
Dulciter ac illis basia longa dare.
Consulo dansandi vobis apprendite praxim.
Inter dansandum gaudia mille fluunt.
In causis istis experto crede Roberto.
Exprovam feci mille quaranta vices.
Atque decet juvenes balandi scire triumphos,
Pluribus in causis nanque juvare solent.
Esclatire precor faciatis corpore dansas.
Qui gente dansat gentilius extat homo.
Cum bassis dansis tu te fortabis avantem,
Inter bragardos tu quoque dictus eris,
Qui bene nunc dansat gram fortunatus habetur.
Gaillardos juvenes una puella petit,
Decapayrono si danses cum dumicellis,
Si bene non fringues gran calameus eris:
In commune bonum semel insanivimus omnes;
Omnibus in terris dansa plesanta manet.
In cœlis etiam plures dansare videmus,
Angelus hic choreat organa quando tocant.
Reges, Reginæ, comites, dominique Barones,
Vtuntur dansis & choreare sciunt.
Vos etiam scitis quod Francia negligit omnes,
Qui non mugnetant, nec choreare sciunt.

Sæpe

Nunc ego pensavi vobis describere dansas,
Et monstrare modum de choreando bene:
Ipse tamen renui totas describere dansas,
Id mihi perlongum namque fuisset opus.
Plusquam Matusalem nam quamvis vivere possem
Et plus quam phœnix, Nestor & ille verus,
Et plusquam lapides, sol, vulpes, & mare, terra,
Acaltum cœlum, candida luna quoque:
Dicere nostra tibi nunquam posset calamella,
Quot nunc sunt dansæ posteritasque feret.
Nam natura novas semper vult edere dansas,
Et nova cuncta viris rite placere solent.
Nunc faciunt omnes ad la nova guisa gonelas,
Sic semper dansas tu renovare vides.
Ergo nunc volui communes scribere dansas
Quæ tibi sufficient cum choreare voles.
Diversas quondam choreas fringare solebant,
Falloti patres cum gravitate bona:
Monseur, ma mio, lo brot de la vigoo friando,
Et lo grant elas dulcis amica Dei.
Et tout noble cœur, fleur de beauté la riale,
Ils en ont menti mal marida da quoque.
Atque la fanfarro,i, los enfans gentamonia,
Helas madama tout sadoubare bene,
La danso de triconicò sacho al rebecile,
Toto avant reculo tirotiro reculo.
Et plures alias dansas sontare solebant,
Quos tibi non curo carlamuare modo.
Practica communis sed nunc devenit in usum,
Communes tantum quæ choreare jubet:
Scire ergo dansas qui mitundella laboras,
Accipe nunc normam quam tibi trado bonam.
Ipse velis primo passus apprendere recte,
Et cum mensuris atque movere pedes.
Incipiendo dansam fit reverentia semper,
In facie dominam respiciendo tuam.

Lar-

Largando gambas ipsam fauchare memento:
Sed teneat justos fœmina rite pedes.
De gamba semper reverentia fitque sinistra,
Ad libitum plures quamvis inesse velint.
Bragardi certant & adhuc sub judice lis est,
De quali gamba sit facienda salus.
Atque omnes dansas tibi gamba sinistra comendat,
Byrretum moveat atque sinistra manus
Et manibus nudis teneas dansando puellam,
Si teneas gantos tu bene salus eris,
Quando salutabis digitis tribus accipe byrrum,
Non oculis noceat quando levabis eum.
Arresta modicum de lo tornare à la testam,
Non cito nec tarde testa recobret eum.
Vlterius superest de quo te avisare recordor;
Vnum passagium quod retinere velis:
Si teneas oculos binos nec bornius extes,
Per testam fica quod venit inde tuam.
Quando duas tecum garsas dansando menabis,
In bassa dansa quod bene sæpe venit.
Quid facies pauper reverensas in faciendo?
Qualem respicies quando plegabis eas?
Consulo te super hoc qui rabbim crederis esse
Mestrus aliborus omnia scire putans.
Hoc opus hic labor est justum cognoscere punctum
Quem declaravit Bartolus ipse male.
Tu bellam semper credo respicere velles,
Ipsa viris semper bella puella placet.
Dum casus veniet tu te impachaberis ipse,
Et male cum garsis sæpe venutus eris.
Non facias igitur hoc si vis semper amari,
Ambas respicias ut tibi monstro bene.
Dum facies humilem reverensam gente friande.
Vnam baysando respice quæso solum.
Aspicias etiam posthac sursumque levando:
Ambas respiciet sic tua vista bene.

Non

Non erit inter eas tunc sic discordia nulla,
Et sic de garsis semper amicus eris.
Sic ego consului de facto mille vegadas
Pro damiceleris & dominisque bravis.
Iste valet casus tercentum mille ducatos,
Fac non demembres & memor esto mei,
Sed quando incipies dansam ballare memento,
Quod teneat dominam tunc tua dextra manus.
Et cum te vortis vel curris regula fallit,
Sæpe tenet garsam namque sinistra manus.
Et postquam sapies numeros decorditer omnes
De quot dansera quælibet esse solet.
Tu bene post dansam de testa scire labora
Vt lo Pater nostrum, Credo, Deumque tuum.
Atque scias duplem recte simplumque reprisam,
De quot dansando passibus esse solent.
PAssibus ergo duplum de tribus esse memento
Cum binis gambis, sed remanebis eum.
Percute de pedibus marchando quatuor ictus,
Sed tres una facit altera gamba semel.
Sed labor ac opus est passus cognoscere cunctos,
Nam passus fiunt ordine quinque suo.
Vna duos primos marchet tantummodo gamba,
Ac alium post hoc altera gamba dabit.
Tibia sed faciet quartum gentissima passum,
Quæ primos passus fecerit ante duos.
Vna dabit finem, sed dupli tibia tantum,
Incipit & post hæc altera gamba tibi,
Aut duplum præsto reprisam vel tibi simplum,
Atque pedes justi tunc tibi semper erunt.
Æqualesque pedes jubeo dansando tenere,
Cum reprisa venit congediumque simul.
SImplum sed facias de uno tantummodo gamba;
Dando duos ictus musica nostra docet,
Istos sed passus tam, grandes reddere noli.
Vt mensurando condere jura solent.

Quinque pedes faciunt passum di jure memento
Legales passus ergo trepare cave.
Passus dansandi non sit pede longior uno.
In bassis dansis Bartolus ista docet.
Et si majorem passum dansando labores,
Impostam vadus, ipse cridabo tibi.

CUm reptisa venit sed non marchabis avantem,
Ad traversus eam nam tricotare decet.
Atque ipsam semper dextera parte labora
Fringando gambas atque movendo pedes,
Conjungendo tuas espaulas cum muliere,
Et garsam caveas ipse butare nimis.
Si nimium polses facies repetare puellam,
De modico grognat fœmina semper amans.
Et faciendo ipsam demarcha quatuor ictus,
Sed pede secrete tunc sibi tange pedem.
Tibia tres ictus tunc polset dextera semper,
Vnum sed tantum gamba sinistra dabit.
Ipsa duos primos marchabit dextera gamba,
Acalium post hoc altera rite dabit.
Quartum sed faciat rursus tua tibia passum,
Quæ primos passus fecerit ante duos.
Atque illam facies si vis de corpore tantum,
Sed facile agnoces cum bene doctus eris.

COngedium gentem tantum de corpore fringa,
Branlando corpus non removendo pedes
Sed cum congedii finem fauchabis amice,
Totam personam dextera gamba regat.
In medio dansæ nunquam congeria bales,
Tu nisi reprisa sit bene juncta sibi:
Sed nisi congedio reprisam sæpe videbis,
In bassis dansis dum choreabis eas.
Sed sic non servant bragardi tempore nostro,
Omnes balantes nunc tricotare volunt,
Omnia pervertunt nunc floreando fitantes,
Quilibet in dansis glosat amice modo.

Dim-

Diminuunt pedibus passus dansando periti,
Et bene mensurant semper habree solent.
Rustri paysani cum fringant corpore dansas,
Balando servant tempora nulla sibi.
Avio de pays omnes dansare videmus.
Si pren que prengo dummodo dansa voguet,
Non est ulla symonia nec dolus est neque labes,
Quod sapiunt faciunt omne tacendo nihil,
Nam currunt currunt non intendendo cadensas,
Ad placitum faciunt omnia namque suum.
Simplos, reprisas omnes, congedia duplos:
Vnam mensuram semper habere putant.
De rominisgrobis faciunt gisclando la gambam,
Inter eos etiam rustica verba volant.
De verdingoyho gay gay compayre lo rustre
Bas & rede tire deinde la gamba bene,
Et dansare volunt quando est in cœpta la dansa,
A tribus & duplis principiare putant
Mille simul choreant, omnes se fortque remisclant,
Tout à bel boudre rusticolando bene.
Atque covedadas polsatas & sibi donant,
Fringando semblat una bataille bona.
Principio danse gambam torsendo, bovetum
De testa surgunt præstiter atque modo.
Tam bene dansando reverensam de pede lansant,
Pallatam terræ quod pede crede movent:
Et branlant, fringant, ad la paysana redansant,
Mestrus & in dansis quilibet esse putat.
Et nunquam cessant seu pausant currere dansam,
Tunc nisi cum lassus tamborinator adest.
Ac dicunt garse cum cessat carlamuator,
Grandis mercessus genta gorgeta mea.
Non servant punctos paysani tripudiando,
De duplis, simplis mentio parva manet.
Trompos de canna gent de village requirit,
Nil valet inter eos una flouta bona.

Barbara barbarien cherubim ut mammoma servā
Al'auentura pertricotare solent.
Illis dum parlas bassas decurrere dansas,
Mesprisant illas glorificando suas.
Rusticus ignarus doctrinam negligit omnem,
Et similis similem serquat habere sibi.
Qui malus est alios sic omnes æstimat esse:
Paillardas omnes una ribalda putat.
Inter dansandum se quarrant undique forte,
Est quoque tunc multum gloria magna sua.
Dedecus est magnum villanos esse superbos,
Rusticus & pauper fringotillare volunt.
De minimis renuit sed prætor condere leges,
Illis dansandi nec dabo jura modo,
Nam quamvis scirent bassas apprendere dansas,
Rustica progenies nescit habere modum.
Sed nos tornemus nostram complere bisognam,
Te bene las dansas nanque docere volo.
IPse modis branlos debes dansare duobus.
Simplos & duplos usus habere solet:
Sed branlos duplos passus tibi quinque laborent,
Tres fac avantum, sed recullando duos,
Quatuor in mensura ictus marchabis eundo,
Atque retornando quatuor ipse dabis.
PAssibus & branlus simplus de quatuor adsit,
Fac avantum, sed reculando semel:
Sed primos passus majores semper habebis
Quos facit avantum, sic bene branlus erit,
Istud non servant branlando semper ad unguem
Docti dansantes: nam minuendo trapant,
Branlos decopatos etiam dansare memento,
Mignoniter corpus fac rigolare tuum.
Accorda gambas dum branlas atque rebranlas,
Si non te accordes grandia damna dabis.
Tu discordabis branlantes & tricotantes,
Omnes desbauchat destrainatus homo.

Sed

Sed non desperes si presto deprecor ipse,
Nescis passetos condere rite tuos:
Nam te discipulum primo decet esse benignum,
Quam sis dansandi mestrus in arte bonus.
Dulcia non meruit qui non gustavit amara,
In granda pœna queritur omne bonum.
Si sis in medio de sala sive à la fine,
Et non completa sit bena dansa tua:
Vel quod tunc aliqui de l'autra parte redansent,
Et passare nequis tunc plus avante pedes.
Atrassus plane de te reculare memento,
Dansam fac sapiat tunc bene testa tua.
Sed quod non fautes garda tunc reculano,
De facili dansam perdere quisque potest.
Isti tibi veniet casus dansando per orbem,
Mille vices: ergo sis memor ipse bene.
UT teneas artem totam securus, easque,
Menti perpetuo quod venit inde nota.
Quatuor assumit sibi tempora docta reprisa,
Quatuor & duplum, congediumque simul:
In simplo tantum duo tempora quippe dabuntur,
Quatuor ergo tenent tempora simpla duo.
In binis simplis expendas tempora tot, quot
Tu facis in duplo, musica namque jubet.
Sed pro temporibus cantores consule doctos,
Qui cantare solent ut re fa sol la re mi.
Sed postquam sapiet recte decorditer omnes,
Passagros, supra quos mea Musa docet,
Tamborinatrum post de trobare trabailla,
Qui dansæ praxim rite docere sciat.
Indoctus nunquam te doctum reddere posset.
Vnquam quod nescit nemo docere potest.
Disce, sed à doctis, indoctus ipse doceto,
Augeri debet una sciensa bona.
Perdocet indoctus quæ dedoceantur oportet,
In dansis mestrus sit tibi quæso bonus.

Prin-

Principiis obsta, sero medicina paratur,
Cum mala per longas convaluere moras.
A l'enformando prenduntur cornua panis,
Ergo te doceat mestrus in arte bonus.
Ipse sciat plures dansas siblare nouellas,
Et bene turlururo carlamuare sciat.
Fistula dulce canit, garsas dum decipit auceps,
Gentilos cantus audit amica libens.
Amphion dansis quem laudant sæpe Poëtæ,
Sit tibi lo mestrus discere quando voles.
Passagios finos in dansa mille floutat,
Turlururoluto dulciter ipse tedet.
Quando carlamusat de fifro sive flouta,
Extat tam dulcis la melodia sua:
Quod duros forsat præstat dansare rocassos,
Cabras & Saumas is tricotare facit.
Sed de pagamento nil tibi dicere curo,
Compensam cerquat omnis habere labor.
Cum labor in damno est, mortalis crescit agestas,
Qui non gasagnat pauper ubique jacet.
Debursa argentum si vis apprendere dansas,
Nunc sine denariis non docet ullus homo.
Scire volunt omnes, mercedem solvere nemo,
Perfecte paucos sic choreare vides.
Fac tibi quod semper sit Iudex charus amicus,
Iudicis auxilium sæpe juvare potest.
Ad barboillandum frasca ures undique clamant,
Causidicus justus omnia justa petit.
De tamborinis etiam si grossus amicus,
In dansis multum nanque juvare valent.
A la desfortuna plus valet unus amicus,
Quam facit in bursa tota moneta tua.
Nam si fallires choream dansando ribalde,
Tunc possent fautas rapineare tuas.
Ipsam tunc dansam longando vel breviando,
Lex non servantur quando necesse venit.

Nemo

Nemo eſt tam ſapiens qui non aliquando pererret,
Soſpitat interdum nam generoſus equus.
Ipſe ego danſando menſuras quandoque perdo,
Deficior prudens artis ab arte mea.
Ad bene danſandum grandis latet anguis in herba
Trompati plures in choreando manent.
Crimen avaritiæ ſemper vitare memento,
Solve floutantis ſic cito doctus eris.
Practicus in danſis etiam te multa docere
Poſſet ſi pœnam prendere vellet eam.
Sed plures penſant danſas balare volando,
Difficiles choreas, & nihil eſſe putant.
Sed ſunt inganati qui talia ſomnia penſant,
Multum terribilis danſia quæque manet.
Sed mihi nunc dixit quidam bragator in arte,
Danſariam totam ſe bene ſcire putans,
Quod quando incepit baſſas apprendere danſas
Omnes penſabat ſcire volando bene.
Sed cum penſavit paſſus marchare volanter.
Meſtrus ei travas dixit habere potes.
Certe qui faciles dicunt errare videntur,
Cum grandi pœna vix retinebis eas.
Et non in teſta credas de follibus intrant,
Nam ſapientis opus eſt choreare bene.
Difficiles danſas plus vos trobabitis ipſi,
Impeium quam lex parraphus atque Cato.
Atque monandi, Dinus, Scevola, lectaque, frater,
Et re conjunxi gallus ubique canens.
Calimachus lonchus centum capuæque malignæ.
Quinque pedum, vinum, de quibus, atque tria.
Si dominus, mater, mulier bona, venditor ejus,
Et quod nerva, metum, dolia pacta quoque.
Exempto, Prætor, ſi quis, Pomponius, arbor,
Fundi teſtatrix, & percibuſque tuis.
Et quam ſint leges de toto corpore juris,
Obſcurior danſa qualibet eſſe ſolet.

Ergo

Ergo laborabis dansarum scire candensas,
Non aliter poteris tripudiare bene.
Si cito non possis bassas apprendere dansas,
Corrossare cave gente friande precor.
Sed teneas oro pulchram dansando gravelam,
Atque bonum dansis omnibus adde modum.
Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos si non serves tu male semper ages.
Sermo datur cunctis, ballandi gratia paucis,
Ergo dansando gratia semper erit.
Absque sale ut nunquam nunquã valet ulla viada
Gratia si desit, sic neque dansa valet.
Ordine sunt plures passus, marchare scientes,
Sed sibi dansando gratia nulla manet,
Et per despectum semper dansare videntur,
Atque Deum semblat quod renegare velint.
Vix ars ulla potest pravos corrumpere mores,
Quod natura dedit tollere nemo potest.
Illis sed tradam normam qua scire valebunt,
Dansando pulchrum semper habere modum.
Quarant banquetos, & tunc choreare regardent,
Illos, qui recte tripudiare sciunt.
Et bene dansantes in testa quæso reponant,
Atque bonos gestus tunc retinere velint,
Post faciant simile, sic ars apprehenditur arte,
Et post dansando gratia semper erit.
Fœlix quem faciunt aliena pericula cautum,
Pendutus vobis hoc bene monstrat homo,
Paysani dicunt à bestis quando laborant,
A majore bove discat arare minor.
Vsen & domibus quæ de dansare triumphat,
Et banquetando tempora plura terunt.
Vt sunt Avenione domus quæ scire laborent.
Quæ bragam bragam continuare solent,
Vel semper semper cum Solerienfibus usent.
Qui balando solent semper habere ungam.

Sunt

Sunt ibi bragardi juvenes de corpore plures,
Gentes garſones patria noſtra tenet.
Et totus populus danſas demarchet ad unguem,
De puncto danſant tota brigata bene,
Gambadas ſauchat, campanas, atque reverſos
Gentas nobleſſas corpore crede facit:
Ad bene danſandum joyas ſeu præmia donat.
Qui melius danſat ille reportat eas.
Atque ſenes homines recte danſare videres,
Las gentes viellæ repapiare ſolent.
Eſt paradiſus deliciarum patria noſtra,
Gorgiaſus payſus Solerienſis adeſt.
Mille frandiſus juvenes ex corpore fringant,
Aſſaliunt omnes qui choreare volunt,
Patria Solerienſis eſt fringandiſſima villa,
Dulcis amor patriæ, dulce videre ſuos.
Inſuper exhortor vos omnes diſcere danſas,
In quibus aſſidue baſia longa damus.
Diſcite jamolam, brandos, ayaſque coquetas,
Ac omnes alias oſcula ſi qua ferunt,
Qui choreas tales ſcit, fœlix dicitur eſſe,
Namque puellarum labia pulchra bibit.
Quid melius juveni dum pulchras baſiat illas?
Nil melius vobis, nec mihi prætor opus.
Dum tu baiſabis, garſas, murrum tibi torca,
Et prolixa dabis baſia, preſſa quoque.
Surgeque byretum de teſta, tunc ſine fauta
Sit reverenſa tua, tunc bene facta quoque.
Vlterius moneo te artis ſecreta docendo,
Vnum paſſagium quod mihi ſæpe venit:
Si danſando tuam forſan parlabis amicam,
De numeris danſæ ſis memor ipſe bene.
Pectora noſtra duas tunc admittenda cures.
Quod ſi non facias, ampachiator eris.
Atque velis recte danſæ auſcultare cadenſas,
Auriculis teneas timpana rite tuis.

Vidi quam plures sese gravitate moventes.
Qui non intendunt quando cadensa venit.
Nec reddunt aliquem toto de corpore gestum
Cum reprisa tocat, congediumque simul.
Dum passat tempus plantatos stare videres,
Semblant durbecos se removando nihil.
Instrumenta simul sed pluria quando tocabunt:
Attende ad flutam, namque magistra manet.
Fistula si fautet dansam seu non bene siblet,
Quomodo cognosces pande falote mihi
Tamborinarium quamvis tu rite regardes,
Non poterunt oculi crede videre sonum.
Aureilas ergo dansando consule semper,
Auditus dicet si male tonnus eat.
In gambis etiam poteris cognoscere fautas,
Si sonus est falsus gamba trotare nequit.
Visagium teneas dansando semper alegrum.
Et cheriam frater confice quaeso bonam.
Balando quidam certe plorare videntur,
Merdasses duras atque cacare velint.
Permittas socios etiam dansare ribalde,
Si semper danses ipse fachosus eris.
Doctorum veterum semper proverbia cantant,
Omne quod est nimium taedia ferre solet.
Et semper noli cum una dansare puella,
Sed cum diversis dansatisare velis.
Tantum unam faciunt quidam dansare puellam,
Se sibi vergogna maxima crede manet.
Nam dicunt homines tunc omnes atque puellae,
Incarnatus adest nunc amor ille nimis,
Ipse tamen dansa cum tempus postulat aut res,
Sed vergognosus non eris ipse nimis.
Nam dicunt leges nostri de corpore juris,
Quod nunquam timidus cautus amor erit.
Et gayter danses non tirassando sabatas,
Fringando corpus quando cadensa sonat.

Nam

Nam pensant quidam tunc se caucare tacemos,
In tantum gambas tunc apilare solent.
Plures tordiones etiam dansare memento.
Sed bene minute fac trapiare pedes.
Ad tordiones non extat regula certa,
Hysteron & proteron, rite movendo pedes,
Illos tu prendes tantum dansare per usum,
Vsus & ars docuit quæ sapit omnis homo.
Si non intendis dansarum rite cadensas,
Vnquam non poteris tordionare bene.
Cum branlos facies seu tardionabis amator,
Da sibi lo bindo bindo ribalde bonum.
Patata pototum, sed fit corrensia gaya,
Et de brim & de broc intravagando pedes:
Est mihi difficilis multum passagius iste,
Istam correndam nemo docere potest.
Itendo melius quam vobis dicere possim.
Vsus vos tantum scire docebit eam.
Et semper semper sis estringatus ad unguem,
Et bene stacata sit la brayeta tua.
Tombare in terram braibas quandoque videmus.
In bassis dansis ergo ligabis eas.
Atque velis etiam bellas portare sabathas,
Fac bene stirata sit quoque chaussa tua.
Oro taconatas caveas portare sabatas.
Nam nihil in dansis turpius esse potest.
Chaussas decopatas etiam portare memento,
Atque sabatoni sint tibi quæso bravi.
Non portes bottas in gambis tu choreando,
Nam bene non dansat esperonatus homo.
Cum vades ad dansas fac amollare sabatas,
Vt trinchent salas trincotillando bene.
Sed si bocquetum de compagnonibus Abbas
Det tibi, gentiliter fac decus ipse tuum.
Convita garsas, dominas, gentasque puellas.
Oro in bocqueto semper amice tuo.

 In cho-

In choreis fuerint bellæ sed quando puellæ,
Indistincte omnes intretenere velis.
Sed bene festiges illam quam diligis ipse,
Derrerium branlum semper & illa manet.
Et facias omnes fillas dansare memento,
Fac saltem danset filia quæque semel.
Nam vidi garsas de dansis quæ veniebant,
Sed quasi cor totum deficiebat eis,
Quod de dansando nemo invitaverat ipsas.
Ac intretenuit nullas amator eas.
Sed bene fognabant tornando multa renantes,
Versus amorosos qui choreare solent.
Quod non dansarunt unam tantummodo dansam,
In balo secum quando triumphus erat.
Sed compagnones bellas tantummodo rappant.
Noscitur in dansis pulchra puella cito.
Ergo cum facies bocquetum pulcher amator,
Consulo fac danset filia quæque semel.
Et compagnones de convitare memento,
Qui tecum dominas associare velint.
Sed faciant quæso plassam dansantibus amplam,
Arreculent omnes dulciter atque viros.
Nam sæpe in dansis est hic vergognia magna,
Vnus cum domina vix choreare potest.
Ordo ponatur tamen assetando puellas,
Dando scabellas scamna polita quoque.
Atque duo tantum debent dansare pareilli,
In bassa dansa quando flouta tocat.
Hi se mblant porcos qui se cumulantur in unum
Cum dormire volunt aut lupus ambit eos.
Costume rumpunt leges ac omnia jura,
Vsum tu semper de regione tene.
Sed cum desardam dansarum fine lieurant,
Tunc omnes possunt tripudiare simul.
Tempore nocturno sed cum dansabis amice,
Antorcha plures lumina clara ferant.

Nam dicunt leges quod ponat lumina magna,
Non bene dansatur lumine dansa carens,
Lumina si non sint poteris baysare puellas,
A la sorneria nemo videre potest.
Sed dare post potum fac cunctis sis memor oro,
Et tunc lex vinum braguet amice bene.
Nam cavit Ovidius tunc pauper cornua sumit,
Cum banquetando dulcia vina vogant.
Fœcundi calices quem non fecere disertum?
Embrigare solent dulcia vina bene.
Ipse tuum festum fac quod sit semper honestum,
Nil melius homini quam sua fama bona.
Dicere passagium sed vult fantasia nostra,
Quod multos trompat accidit atque mihi.
Si tibi sit socius choreas dansando peritus,
Qui plures dansas tripudiare sciat,
Principio dansæ confestim respice recte,
An dansam jubeat ille tocare sibi.
Nam sunt quidam quidam omni de corpore misti.
Vltra communes qui choreare sciunt.
Et quando socius vult arrapare puellam:
Tunc talem dansam histrio tange ferunt.
Sed non communem commendat tangere dansam
Sed longas alias carlamuare jubent.
Vt le grant helas, la grant douleur, mamiona,
Pampalona bona, noble cœurque bravum.
Atque la seignoro, ma plesando, dulcis amica.
Vt socium trompent ista tocare jubent.
Quare avisatus sis semper dum choreabis,
Quam dansam socius carlamuare facit.
Barbotant homines & pluria carmina parlant,
Ex improviso fallitur omnis homo.
Ast etiam firme teneas in mente repostum:
Quod tibi secretum nunc mea testa canet.
Nam nisi communes non debet tangere dansas,
Ipse floutator quando brigata salit.

Hoc nisi de jussu dansantis tangeret illas,
Tunc alias omnes namque tocare potest.
Sed balando precor garda fautare cadensas,
Et finem dansæ quando flouta dabit.
Nam sicut amissum non est reparabile verbum,
Si fautes dansam vix reparabis eam.
Vades in syllam cupiens vitare carybdim
Dansariam fautes si semel ipse tuam.
Est via peccandi facilis decensus averni.
Sed revocare gradum maxima pœna manet.
Nam si faillires choream dansando ribalde,
Invergognatus omnibus ipse fores.
Vir semel in mundo postquam perdivit honorem,
Illum vix nunquam post recobrare potest.
Quem semel horrendis maculis infamia nigrat,
Ad bene tergendum multa laborat aqua.
In mundo non est ulla reparabilis arte,
Læsa pudicitia : deperit illa semel.
Sed non respicias stellas dansando friande,
Astrologi faciunt sydera quando notant.
Contra muraillam vel terram respice quæso,
Nec tortis oculis cernere quemque velis.
Non ad mensuram socii dansabis amice,
Quod plures faciunt respiciendo pedes.
Quidam sunt semper qui se dansando revirant,
Vt videant socium si bene dansa cadat.
Semblant latrones qui se plerumque revirant,
Quando borellus rite foëtat eos.
Me semblant Ianum partem qui spectat utranque.
Est pro ridendo respiciendo modum.
Si perventuram dansam faillis tamen ipsam,
Passibus alterius tunc reparabis eam.
Et si non possis dansam reparare faillitam,
De marcha semper dinumerando nihil.
Et nunquam pauses, nec sit reverentia facta,
Tunc nisi cum mestrus tamborinare finit.

Per medium dansæ non estonaberis unquam,
A la ventura tunc tricotare velis.
Et quamvis multum tu sis tribolatus amore,
In dansis unquam non ebahitus eris.
Artisqua vinum cum fustibus atque barillis,
Prospera fortuna sæpe juvare solet.
Perplures errant dansando propter amorem,
Dulcis amor multos irresolire facit.
Et bene perfecte fingas te currere dansas,
Terribiles mignas atque tenere velis.
Non timeas fumum tunc de culcclibus oro,
Nec de raviolis; rogius esto nihil.
Heu quam difficile est crimen non promere vultum
Visagium triste qui male fecit habet.
Coragium semper boniacum prendere forsa,
Qui se coragiant adjuvat ipse Deus.
Cauquillone precor dansando te bene porta,
Fac dicant gentes iste valentus adest.
Et rutare cave quando dansabis amice:
Nam si tunc rotes, tu bene porcus eris.
Tu quoque per dansas nunquam sautando petabis,
Stringe os & culum coge tenere petum.
Non nimium branles personam tripudiando,
Atque precor branlet quo tua testa parum,
De testa mignas nam quidam mille laborant,
Torsendo boccam, quod male vadit eis.
Non contra facias te sic dansando friante,
Sed teneas trognam tripudiando bonam.
In dansis etiam tu te carrabis honeste.
Si nimium bragues invidiatus eris.
Si teneas medium semper tutissimus ibis.
Per nimium bragum jure mocatur homo.
Mignotarias faciunt quidam de corpore gayo,
Inter dansandum quæ mihi sæpe placent.
Non grates testam manibus ferquando pevolhos.
Nec nigras nieras tunc grafinare velis.

Nec nimis in terram pendentia brachia portes,
Sit brassus rigidus tripudiando parum.
Despoderati quidam dansando videntur,
Et brassos ruptos semper habere suos.
Ergo tuum corpus rectum dansando tenebis,
Hoc nisi fringando dansa plegare petat.
Æqualem ducas tecum balando puellam
In dansis nunquam retromenabis eam.
Namque solent quidam retro dimittere garsam,
Si lupus hic esset crede levaret eam.
Et modicum longe teneas de te mulierem,
Si nimis & carrat tunc retinebis eam.
Sed tibi personam nunquam dansando remires,
Pavones faciunt, quando placere volunt.
Plures maraudos vides de tempore nostro,
Qui se carrando glorificare volunt.
Vbertam boccam nunquam dansando tenebis,
Nunc propter muscas nanque volare solent.
De facili boccam possent intrare badatam,
Et te strangularent, ergo Falote cave.
Non sis morvelosus, nec bavet gorgia garda,
Foyrosos juvenes fœmina nulla cupit.
Et non escraches morvellos ante puellas,
Nam racare facit vertere corda quoque.
Seu spuis, aut mugis nares mutasve memento,
Post tua concussum vertere terga caput,
Et nasum digitis de non moccare recorda.
Blançus mocadorus fac bene moquet eum,
Alea non manges nec porros, tu neque cæpas?
Nam faciunt boccam post redolere male,
Sed quandoque bonas garsæ donabis œillatas
Inter dansandum tempora quando volent.
Nam sine reprensa garsam respicere possum
Communi in dansa quatuor ipse vices.
In commensamento dum reverentia baissat,
Et reprisa venit congediumque simul,

Esquis-

Esquissare manum garsæ quandoque volebis,
Quamvis corrosset continuare velis,
Secrete facias dum gratisabis amicam,
Quæ nimis apparent retia vitat avis.
Omnibus in rebus fac semper vincat honestum,
Si sis paillardus tu maledictus eris.
Bella tibi si sit, noli desistere cœptis,
Fœmina sæpe negat id quod habere cupit.
Audaces fortuna juvat timidosque repellit:
Et timidus nimium sotus amator erit.
Et in banquetis semper cortesius esto,
Nam blandis verbis queritur acer amor.
Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses,
Qui bene devisat semper amatus erit.
Excitat & nutrit facundia dulcis amorem.
Et mulcens animos mitigat ipsa feros.
Hoc tamen in testa firme dansando tenebis,
Parlando garsis affrolatus eris.
Affilatum becum semper habent mulieres,
Subtilis escotus vix superaret eas.
Si non sis finus cum garsis atque re finus,
Grandus sotassus tu reputatus eris,
Inter garsetas facito sis cautus abunde,
Subtilitas hodie vincere cuncta facit.
Non sis lordandus, du gassus, nonque taraudus,
Nunquam per dansas ipse Toinus eris.
Sunt plures homines qui sunt quasi mortis imago,
Et sibi parlando gratia nulla manet.
Tales sautaumas non diligit ulla puella,
Et quasi brutassa bestia sotus homo.
Mistius & bravus cum garsis esto friande,
Pala correcte quando loqueris eis
Sermo hominum mores & celat & indicat idem
A parlare suum noscitur omnis homo.
Sic bene statatius parlamentando puellis,
Dulces parolas fœmina semper amat.

L 5 *Verba*

Verba ligant homines, taurorum cornua funes:
Et blandis verbis fœmina sota cadit.
Sed tibi passagium volui nunc prendere pulchrum
Quod bene perpetuo tu retinere velis.
Ipsius amorosam facias dansare frequenter,
Multum bragare fœmina quæque cupit:
Nam si non facias quod multum danset amica,
Contra te iratam crede videbis eam.
Sed postquam secum dansam balaveris in se,
Per substitum post choreare velis.
Aubadas etiam tu fac de nocte à la garsam,
Cum tamborinis carlamuando bene.
Bellas cansones semper cantesque novellas,
Gayas aubadas audit amica libens.
Fœmina cum dormit in lecto nudaque sola,
Se strillat corpus, sæpe petando bene:
Et quando aubadas audit, destrat amantem,
Vellet amorosum gattigolare suum.
Sagius in dansis semper sis atque valentus,
In choreis nunquam solus amatus erit.
Follegiando putant nam plures rite placere,
Displicet imprudens quando placere putat.
In dansis etiam nunquam sis oro superbus,
Gloripetas unquam nullus amare potest.
Gloria Luciferum cassavi de paradiso,
Tales fantaumas non amat ipse Deus.
Vltracudatus non sis te deprecor unquam.
Est male vulgurus ipse fierus homo.
Non te dormiscas in dansis gente brigante,
Dormire in dansis est renegare Deum.
Aysate dansa sensa pulsare la gentem,
Impingunt aliqui currere quando venit.
Quosdam baboinos in dansis sæpe videbis,
Qui contra omnes barboliare volunt:
Sed martingalam facias brusire valenter,
Si cupias dominæ rite placere tuæ.

Allas

Allas troſſabis gambadas ipſe volando,
Saltos, & gavelos, plura reverſa quoque.
Terrabim terrabaſt giſclando te remanebis,
Te tragiteyrum quilibet eſſe putet.
Tuque repompilla, ſac bondes atque rebondes.
Fac ſembles paumam quando frapamus eam.
Martigalando ſauta curo mille reverſis,
Sed cum tombabis præſto levare velis,
Atque retornabis danſam complere valenter,
Patrim patriolo teque dolendo nihil.
Sed per menſuram ſaltando te remanebis,
Nanque ruunt plures quando volare putant,
Et ſi non ſurgas tu plus tombare nequibis,
Qui jacet in terra non habet unde cadat.
De carementrando moriſcas effice bellas.
Maumarias etiam farſigiando quoque.
Et ſi tunc aliquid non vis cognoſcitus eſſe,
Grans fauviſagios pone repone tibi.
Tempore tunc illo eſt de danſando fiera,
De Carementrando banquetat omnis homo.
Se deſordenant las gentes multa bevendo,
Et la lex Gallus eſt repetita bene.
Et facias oro recte dindare ſonetas,
Caſcavelando fac tricotare pedes.
Al'antigaillate interdum rite recarra,
Ad grandos paſſus intravagando pedes:
De ponchis pedibus tute marchabis avantum,
Fringando gaſcas de manibuſque tuis.
Burlim burlaino ſemper donando lo bindo,
Tantarireino la turo luro luro.
Plures bragardiſas te bene ſcire beſongnat,
Si dominas inter quæris habere vogam.
De danſando tamen Provincia noſtra triumphat,
Palmam danſandi ſemper habere ſolet.
Sed nova nunc venit gentiſſima danſa gaillarda,
Corpora quæ valde noſtra ſuſare facit.

Aſſa-

Affanare facit nimium nos illa ribalda,
Rumpere me gambas nam facit ipsa meas.
Rideo sed tantum quod nescio dicere quantum,
Cum video gentes sie remenare pedes.
Nam sembant gallos qui se barendo pelicant,
Cattos & moninas cum grafinare volunt.
Tombare in terram sæpe dansando videntur,
Cum faciunt corpus sic violare suum.
Quando voles ergo dansam balare gaillardam,
Non te merfundas gente falote precor.
Non facit infantes tua plus gentissima mater,
Ergo tuum corpus intretenere velis.
Nunc arribavit quædam gorreria dansa.
Quam tu laudabis quando videbis eam,
Lantigailla gaya gens sagia nominat illam,
Petoto petototom farlata lariteno.
Solus homo dansat de una tantummodo parte,
De l'autra choreat fœmina sola quoque.
Tercentum faciunt inter se signa frianda,
Seculum gratant, lo focus ardet eum.
Quæ vir signa facit, tunc eadem fœmina fingat,
Ternecueillabis respiciendo modum.
Vna mihi semblat quot sit grossissima forsa,
Cum video garsas tam bona signa dare.
Inter bragantes tunc semper gorgia ridet,
Et cacat in brayis sæpe friandus homo.
Fort se destaulat populus de corpore gayo,
Escalfatus homo se retinere nequit.
Centum folisias allegras ipse videbis,
Te escompissabis dum tricotabis eas.
In dansis etiam non te incagnaberis unquam,
Si te corrosses destraimabis eas.
Christus amat pacem: dæmones murmura quærunt:
Vllos debatos non amat ipse Deus.
Causas ramaticas in dansis tu neque conta,
De causis allegris divisare velis.

Denique nunc mane quod dum dansabis amator,
Danses cum bellis vestibus usque tuis.
Nam bellas vestes semper dansare requirit,
Vir male abillatus sæpe trufatus erit.
Fac vadas semper multum mignoniter oro,
Penchinata precor sit bene testa tua.
Te testonando nunc ut maneria currit,
Bragando recte semper amatus eris.
Cum ferro chaudo fac replegare capillos,
Ne cremet auriculas attamen ipse cave,
Mille vices lo jour penchinare capillos,
Genti gorrerius sic choreator eris.
Sed tibi defaciet testonum ventus amice,
Dum sufflat ventus si petis ipse foras,
Ergo domi semper reclaussus tunc eris ipse,
Vel testam gerdet genta coiffa tuam:
Aut manibus teneas perrucam rite reclausam,
Ambas ad testam pone friande manus.
Non tundas testam si vis bellissimus esse,
Nam vir tundutus laidus esse solet.
Bragardum supra la testam pone bonetum,
Ad la rgam gorram post gicotabis eum.
Bellus byrretus homines hondrantque sabatæ,
Desondrant multum cum modicumque valent.
Vir bene abillatus semblat bellissimus esse,
Quamuis sit multum laidus atque brutus.
Quando vident juvenes bragardos namque puellæ,
Tales confestim calliniare volunt.
Sed bene continua quamvis perceperis artem,
Artifices usus reddit in arte bonos.
Plus valet hic praxis quam tota scientia crede,
Ergo tibi dansæ practica dulcis erit
Dansando ferias de non servare memento,
Quas plaidoyondo curia nostra tenet.
Et si mesprises mea nunc tu jussa falotus,
In dansis valde crede truffanus eris.

Non

Non me scriptorem, sed te neglexeris ipse,
Bram, bram, cantabo, stercus in ore tuo.
Primo respicias tu negligis omnes,
Imbriagatus homo bestia grossa manet.
O galauarde meas si pensas carpere dansas,
De longo & largo pergicotatus eris,
Iam mihi per testam grandis fumeia montat,
De modico testam musca levare facit.
Si male tostensum vis esquivare ribalde,
Ipse tace facies sic bene tresque bene.
Sancta Euangelia cantat ut rite lo verum,
Et bene de Christo Biblia nostra fidem.
Veram dansandi sic artem carmine dixi,
Fac serves igitur tu mea jussa bene.
Rara avis in terris nigroque simillima Cygno:
Sic pauci choreas rite docere sciunt.
Apparent rari nantes in gurgite vasto.
Nullus perfectus est nisi rite Deus.
Ergo communes qui dansas scire laboras,
Disce meos versus, sic bene doctus eris.

Sequitur dansa communis versibus composita.

AVssando byretum fit reverentia primo,
Rursus congedium non removendo pedes:
Simpla duo marcha post hoc cum duplice solo,
Et post reprisam confice rite tuam.
Et sequitur duplum post & reprisa frianda,
Branlando corpus congediumque dabis.
Inde duos simplos marchabis, tres quoque duplos,
Bostiganda pedes inde reprisa datur.
Vlterius duplum canca mignogniter unum,
Et post reprisam congediumque simul.
Post binos, simplos fringa, cum duplice solo,
Indeque reprisam gamba menare sciat.

Fac

Fac post congedium de testa aussando bonetum,
Personam & gambam rite plegando tuam.
Dulciter in facie dominam, sed respice semper,
Ad finem dansæ cum reverenda datur.
Sic habet hic finem communis dansa faloti,
Viginti numeros semper habere solent.
Facta communi pausa paulisper amator,
Insequitur post hoc moytia namque brevis.
Principium dansæ balatæ nanque resiblat,
Tamborinatius, mestrus in arte bonus.
Mittia confestim post carramuatur ab illo,
Quam bene nunc bales ut calumela docet.

Congedium primo faucha cum duplice tantum,
Et post reprisam congediumque simul.
Simpla duo rursus sed cum tribus effice duplis.
Reprisam casca postque movendo pedes.
Insuper & duplum polsa bragarditer unum,
Gringotando pedes, inde reprisa venit.
Congedium rursus bales aussando bonetum,
Atque simul gambam rite plegando tuam.
Respice sed garsam cum sit reverentia genta,
Atque oculi monstrent dulcia signa sibi.
Pluribus ipsa modis aliis dansuntur in orbe,
Sed tibi sufficiat hæc choreando modo.
Bartolus & Baldus, Paulus, Felinus, Iason.
Panormitanus, Decius atque Cynus,
Et dominus Petrus Alberti granque Rolandus,
Teulerius, Merulus, Rissius atque bonus.
De Ripa, Alciatus, legum magnique magistri,
Quos de dansando vincere nemo potest.
Bragardus dominus doctor Montagna Valentus,
Mingronus socius Iapmetus atque meus.
Et mon cosignus Christophorus quoque Porcus,
Qui bene gormandat cum vitualla venit.

De

De Aligno dominus sapiens & doctus ad unguem.
Frater devotus atque sacrista suus.
Atque Tholosani doctores undique misti,
Merveillas faciunt plura legendo bene.
Pellatus facilis, Dacis, Fracina plesentus,
Guipo, Soleris, Ayma valentus homo.
Bragardus doctor Boyssonus noster amicus,
Quem parlamentum jam retitare potest.
Quando legunt dansas & monstrant omnia nobis,
Istam continue tripudiare solent.
Dansando communis opinio sit tibi semper,
Si danses aliter tu reprobatus eris.
Judicium populi nunquam contempseris unus:
Contra communem consiliare cave,
Omnes bragardi disant communiter istam,
Hoc tamen ad placitum nunc tibi trado tuum,
Hic tibi pavanas nolo describere dansas,
Rarenter dansat iste payssus eas.
Dum fueris Romæ Romano vivito more.
Cum fueris alibi, vivito, fac ut ibi.
Dansa finita, sed cum pausabis amicam,
Semper agas grates dulcia verba loquens.
Illam post pausa per sedem sive repone,
In qua sedebat quando ragasti eam,

Gaya epistola ad falotissimam garsam I. Roseam.

O Mea plesansa, ô mea mignonissima dama,
Dilige personam granditer oro meam,
Ipse amo te tantum quod nescio dicere quantum,
Nullos de mundo te plus amare potest.
Vt cremat ille focus terribilis omnia grescus,
Grossus amor corpus sic brulat omne meum,
Vror ut indomitus ignem exercentibus curis
Fertilis accensis messibus ardet ager.

Tu es

Tu es mihi tam bella & bona bragardissima garsa
Quod vellem in camera te rigolare mea.
De te duntaxat pensa mea testa repensat,
In te continue mens mea tota manet.
Continuo falso mecum te somnia jungunt,
Omnibus & mecum noctibus esse soles.
Tu damayseleta facis me perdere vitam,
Et sensum totum corpus amando tuum.
Ergo tunc superest ut me miseratus amantem,
Abrassare velis corpus amica meum.
Enrabiare facis tu me languere furentem,
Causa mea vitæ causaque mortis eris.
Solamen nostrum tu gloria nostra perennis,
Omnia nunc nostræ jura salutis habes.
Tu facis in causa me desperare profecto,
Si me refuses heu cito mortus ero.
Si tibi vis modicum pro me donare fatigam,
Decidit in casses præda petita meos.
Non patire facit damnatos tam lo diablus,
Nec purgatorium dat mala tanta malis,
Quod facit ad nostrum corpus nunc ignis amoris,
Heu morior, morior la mea belle modo,
De me multeriam populus post te reputabit
Si pro te moriar, tristia semper eris.
Quare te precor ô mea falotissima garsa,
De tanta pœna me relevare velis.
Ipsa tuas aures tunc arrigo quæso libenter,
Exaudi vocem dulcis amica meam.
Non facias tantum me playdegiare la pessam,
Sæpe domos tombat plaidegiare nimis.
Semper ero felix, joyosus, friscus, alegrus,
Si possim gambas gratigolare tuas.
Si bona ventura vel me fortuna juvaret,
Per murrum & gautas oscula mille darem.
Impegolata meo cordi tu es chara gogeta,
Spes mea blanditiæ delitiæque meæ.

Ipse

Ipse licet videam bragardas mille puellas,
Per Christum dominum tu mihi sola places.
Tu mihi de mundo nunc plus formosa videris,
A la regard de te nulla puella valet.
Inter amorosos sunt belli semper amores,
Est nunquam layda fœmina quando placet.
Non alias curo barutelare puellas,
Tantum personam curo tenere tuam.
Tu jolieta manes multum mea joybia tota,
Spes tua me tantum vivere crede facit.
Si te garsa Paris nudam vidisset in Ida,
Cedite dixisset. Iuno, Minerva, Venus.
Bella tibi facies, gracilis tibi nasus & osque,
Blancas tetinas tu quoque garsa tenes.
Sunt oculi clari, sunt & perdulcia labra,
Basia dulcera tu quoque semper habes.
Et nitidi pendent clara cervice capilli,
Ac sunt membra tibi candidiora nive.
Rusticitate cares, sunt & sine crimine mores,
Et semper cunctis la tua facta placent.
Omnes nunc homines tua gratia blessat amore,
Agradere soles omnibus ipsa viris.
Tu bene caquetas, divisas, seu bene parlas,
Vellem in compagna semper adesse tua.
Quando ego te video corpus se forte reueillar,
Inartilare tu mea membra facis.
O mea perla bona, mea dulcis amasia bella,
Affer opem misero tu mihi sola potes.
O virgo miserere mei, misereris amantem,
Effice me meritis tempus in omne tuum.
Vivere cum poterit sine te mordutus Arena,
Ad fontem Xanti versa recurret aqua.
Illa dies qua te video sum totus allegrus,
Tristitias omnes tu refugare facis,
Le jour que ne te vois je suis mal à mon aise,
Et mihi tunc anno longior illa dies.

Tem-

Tēpora si numeres bene quæ numeramus amātes,
Non venit ante suam nostra querela diem.
Follus ego maneo de te gentissima garsa,
Si non me abrasses cogar amore mori.
Tu me inviscasti nimium nimium per amorem,
Tropius est noster impegolatus amor.
Me debauchat amor & sensum perdere cogit,
Vnquam quid deceat non videt ullus amans.
Per las carrerias vado perdendo lo tempus,
Nunc huc, nunc illuc, trotillat omnis amans:
Et nisi sim tecum non vult pausare la gamba,
Tu labor es totus, tu requiesque mea.
Vllus amorosus nunquam bene celat amorem,
Eminet indicio prodita flamma suo.
Propter amoretas de te sum forte maladus,
Et nisi spem dederis, sum moriturus ego.
Ergo mihi dona de facto dulce secorsum,
La charitate tua me relevare potest.
Inter amorosos garsa est medecina doloris,
Sic sine te numquam rite garitus ero.
Vllus amor Veneris non est medicabilis herbis,
Illum sanare fœmina sola potest.
Dulcis amica precor te quantum dicere possum,
Fac sit amorosus semper Arena tuus.
Non facias illud quod vulgus sæpe recontat,
Successore novo tollitur omnis amans.
Et quamvis placeant alii, tamen esto fidelis,
Est virtus placitis abstinuisse bonis.
Fœmineum genus certe variabile multum,
Et levior foliis fœmina sæpe manet.
Rara fides hodie tantum trumparia regnat,
Parva solet magnis rebus inesse fides.
Fictus amor plures garsarum trumpat amantes,
Est mundus plenus fraudibus atque malis,
Ore sonant aliud, aliud sed mente repensant,
Est rarus nostro tempore verus amor.

Fœmi-

Fœmina permultos nunc accarparrat amantes,
Trento caleгnayres une puella tenet
Deficit ambobus qui vult ſervire duobus,
Ergo me tantum ſemper amare velis.
Inter amoroſos omnes eſt regula certa,
Non bene cum ſociis Regna, Venuſque manent.
Contra me unquam nec ſis corroſſata falota,
Quamvis per populum publica fama volet,
Quando inimicitiæ ſunt grandes inter amantes,
Poſt groſſas fognas grandior extat amor.
Tempore paſſato quando fognavimus ambo,
Tout deſperatus atque maladus eram.
Verus amor garſæ non eſt unquam ſine crenta,
Ne tibi diſpliceam formido ſemper ego.
O Deus in quantis animus vexatur amantis.
Gayas garſetas ſemper habere cupit.
Sana precor ſemper mea ſis garreria garſa,
Nos ſimul & jungat præſtiter ipſe Deus.
Mathuſalem nobis & rurſus deprecor annos,
Afferat omnipotens omnia vota quoque.
Tanquam fata ſinent me deſportare per orbem,
Vivet credo meo nomen in ore tuum.
Sum tibi ſemper ero, ſemper ſervire paratus.
Omnia ſunt juſſis ſubdita noſtra tuis.
Grandem perdonem gagnabis de Paradiſo,
Si tu me facias corpus habere tuum.
Hoc tibi ſecretum: tantum pro fine revelo.
Attis barratis omnia vincit amor.
Si de ſecreto vis plus parlemus amica,
Nil mihi reſcribas, attamen ipſa veni,
Si memor oro mei, mea gentiliſſima baga,
Perpetuo vivas ô mea parla vale.

FINIS.

Sequuntur in Practica dansæ communes, quæ secundum Musicam dansantur, ad viginti longas, & qualibet longa de illis fit ex quatuor semibrevibus.

Les communes à xx.

R c ſſ d r d r c ſſ ddd r d r c ſſ d r c

La moitié à xii.

c d r c ſſ ddd r d r c

Notez, que ainsi comme toutes les dances communes sont à xx. semblablement toutes les danses communes & non communes ont vne moitié à xx. r

Item, notez que la p emerie R signifie reuerence, quand elle est au commencement de la danse, & quand elle est en autre lieu signifie reprinse. Le c signifie congé: Les deux signifient deux simples. Le d seul signifie vn doubles. Les trois ddd signifient trois doubles: & si tu veux sçauoir comment tu dois faire les pas, regarde cy dessus au chapitre qui commence Passibus ergo duplum., &c.

S'ensuyuent autres basses danses qui ne sont pas communes, lesquelles ne se dansent gueres souuent aux banquets.

La grand helas. Elle me tient.
Tant d'ennuy. Verdemont. à xix.
R c ſſ d ſſ r c ſſ ddd r c ſſ d ſſ r c.
La gran douleur. La bort de la vigno.
Dulcis amica. La gaya.

Par

Par faux semblant. L'Esperuier.
Confortez moy à xxiiii.
R c ſſd ſſr c ſſd ſſ r c ſſd d d ſſr d ſſr c
Tout noble cœur. Mamie.
Fleur de beautez, Va t'en regret.
L'amour de moy. Ioye ſans fin.
Le vieil Teſtament. Si i'ay perdu m'amie.
Je tiens m'amie. à x x.
R c ſſd ſſr c ſſr c ſſd d d ſſr d ſſr c
Si je me plains. M'amour vous ay donee.
M'amour La fricaſſee. à x x i i i i ſ.
R c ſſd ſſr d ſſr c ſſd d d r c ſſd ſſr d ſſr c
Pampalone. Helas madame.
Amours m'ont. Helas ſi i'ay mon ioly temps perdu. à x x i i.
R c ſſd r c ſſd ſſ r c ſſd d d r c ſſd ſſr c
Ma plaiſance. La penſee de madame à xxii.
R c ſſd ſſr d ſſr c ſſd d d ſſr c ſſd ſſr c
La penſeio. So faſſo.
La deſpourueuë. à x x i i.
R c ſſd ſſr c ſſd d d ſſr c ſſd ſſr d ſſr c
La fanfarre. La douleur des dens. à x x i.
R c ſſd ſſr d ſſr c ſſd d d r c ſſd ſſr c
Fortuno fort Teſtimonium. à x x i i i.
R c ſſd ſſr c ſſd ſſd d d r c ſſd ſſr c
Mes amourettes. à x x i.
R c ſſd r c ſſr d r c ſſd d d ſſr d ſſr c
Conſummo la vita mia. à x v i.
R c ſſd r c ſſd d d ſſr d ſſr c
Tout ferlorum. à x i i i i.
R c ſſd ſſr c ſſd d d ſſr c
Helas que vos à fait mon cœur
L'eſcarpe dole. à x i x.
R c ſſd r c ſſd d d ſſr c ſſd r c
Tout s'adobera. à x x i i i i.
R c ſſd ſſr c ſſd ſſr c ſſd r d r d r c ſſd r c

Patience

Patience. à x x.
R c ſſ d r d r ſſ r c ſſ d d d r c ſſ d ſſ r c
Monſieur vaut bien madame. à x I x.
R c ſſ d ſſ r d ſſ r c ſſ d d d r d ſſ r c
Bon temps. à x x.
R c ſſ d r c ſſ r c ſſ d r c ſſ d d d r c ſſ d r c
A Dieu ſoulas & ioye. à x x I I.
R c ſſ d ſſ r c ſſ d r c ſſ d d d ſſ r c ſſ d r c
Pour auoir fait augré de mon amy à xxIIII.
R c ſſ d ſſ r c ſſ d r c ſſ d d d ſſ r c ſſ d r d r c
Ils ont menty. à x x v I I I.
R c ſſ d ſſ r c ſſ d r d ſſ r c ſſ d d d ſſ r c ſſ d r d ſſ r c
Ma douce dame.
La douleur du moro. x x I.
R c ſſ d r d ſſ r c ſſ d d d ſſ r c ſſ d ſſ r c
Ce que mon cœur penſe. à x v I I.
R c ſs d r d r c ſs d d d r d ſſ r c
La florie. à x x I I I I.
R c ſſ d ſſ r d ſſ r c ſſ d d d ſſ r c ſs d r d ſs r c
Le monteau iaune. à x x I.
R c ſſ d r c ſſ d r c ſs d d d r c ſs d ſs r d ſs r c
Lo bas deſpagno. à x x I I I.
R c ſſ d r ſſ r c ſſ d d d r c ſſ d ſſ r d ſſ r c
La grolo. à x x I I I I.
R c ſs d ſs r d ſs r ſs d r c ſs d d d r ſs d r c
Le quatre baſſes danſes. à x x I I I I.
R ſſ d r d r c ſſ d d d ſſ r c ſſ d ſſ r c ſſ d r c
Adieu mamour iolie. à x v I I I.
R c ſſ d r d ſſ r c ſſ d d d r d ſſ r c

De reliquis dancis eadem finitio ſi ſit
Quæ fuit in Græcis dum choreare voles.
Sufficit ac baſtar aſinos portare banaſtas:
Finem danſarum noſtra flouta facit.
Nulla quidem vita eſt homini nec gloria major
Auxi

Auxilio multos quam relevasse suo.
Spes mea est unica Deus.

RONDEAV.
L'Amant.

Adjuva me & me fais ceste grace
Que ie te puisse en secret face à face
Dire & conter l'amour & grand ardeur
Que i'ay en toy pour le bien & honneur
Que y ay veu & cogneu sans fallace.
Ie ne te voy ne en lieu ne en place,
Et deuant toy ie ne passe ou repasse
Que ie ne die & profere en mon cœur
Adjuva me.

Cent fois le iour voire en peu d'espace
Ie te regrette & ne sçay que ie face,
Tant suis esprins de ta grande rigueur:
Dont ie crains bien de tomber en langueur:
Et pourtant donc auant que ie trespasse
Adjuva me.

RONDEAV.
L'Amie.

Si vous voulez, ie vous fais assavoir,
Que ie suis preste à vous faire plasir,
Et pour complaire à vostre bon desir
Ie mettray peine à faire mon devoir.
Pensez y doncques & ne faites que voir
Quand vous voudrez, car ie suis de loisir:
Si vous voulez.

De deux partis l'vn vous faut recevoir,
Prendre ou laisser, c'est à vous à choisir,
Vostre refus me seroit desplasir:
Car à toute heure vous me porrez auoir
Si vous voulez.

FIN.



DE

FIDE MERETRICVM,

IN

SVOS AMATORES.

APPENDIX EX ORATIONIBVS IOANNIS CHARISTAEI.

Meretrix est ut mare, quodcunque das devorat, & tamen nunquam abundat.

FAmiliares fæminarum artes, nimirum veneficia, mala medicamenta, magicæ vanitates; doli, fraudes, decipula, nomine artium mulierum continentur. Alia quoque, quæ plurima menti fœminæ natura dedit. Versus sunt Græcis Proverbiales: Thesaurus est malorum mala fœmina. Item: Improba mulier truculentior est feris omnibus. Item: *Mare, ignis, & fœmina, sunt mala tria, quæ totum perturbant mundum.*

DISPVTATIO

Sub præſtanti Magiſtro Ioanne Hilt *Rotweilenſi diſputaturo de Quolibet acutiſſimo.*

FRetus veſtra humanitate vigilantiſſime Domine diſputator, fretuſque benigna ſupportatione omnium præſentium, qualicunque ſtatu aut honore præfulgeant, decrevi aſſeſſoriam quandam quæſtiunculam, nudiuſterius mihi à quodam Baccalaureo oblatam, evolvere. Primum autem rogo, ut deponant matutina ſupercilia rigidi Catones, adſint, ut audiant benigne, blando vultu, modeſtis auribus, memores virtutis moralis, quam Græci Eutrapeliam, Latini vero tum urbanitatem, tum feſtivitatem, tum comitatem, tum jucunditatem dixere: memores annuæ hujus actus conſuetudinis. Hæc enim hora, hic locus, hic philoſophici belli fines, ludos, fabulas, moderatos riſus, ænigmata, ſales, jucunda dicteria, facetias, & ſcommata flagitat, à quibus neque divus Auguſtin. abhorruit, neque ſuus peculiaris imitator Franciſcus Petrarcha. Sed jam ad rem ipſam deſcendamus.

DElirant in amore ſenes: hinc jure Cupido,
Vt puer eſt pictus: repueraſcit amans.

M V-

Mulierum amatores mente cæcos esse, Vergilio testante de Didone.

At regina gravi jamdudum saucia cura
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igne.

De Venere & Baccho.

Multos cæcus amor cogit secreta fateri,
Arcana & demens detegit ebrietas.

QVæstio minus principalis mihi proposita fuit hæc: Cur cæci amatores mulierum easdem plus colunt, venerantur & amant, quam Deum Optimum Maximumque.

Patres & Domini præstantissimi, protestor inprimis me non de his verbis aut dictionibus, Deus, Amor, Mulier, loquuturum, licet his verbis usurus sim, sed de rebus per ea significatis. Quis enim tam hebes & insanus, cum loquatur de Deo, de ejus amore, solum in animo suo cogitet, & omnia referat ad nudas literas, ad nomen masculini generis, quale est Deus, quale est Amor, ad secundam & tertiam declinationem? Sed loquor de Ente primo & summo, quo melius excogitari non potest: de Pas-

sione animi, quæ est amor: de qua sanctus Thomas in 1.2. q.23. per totum: & de Muliere mala, de qua Proverb.7. dicitur, Considero vecordem juvenem, qui transit per plateas juxta angulum, & prope viam domus mulieris graditur in obscuro, advesperascente die in noctis tenebris & caligine. Et ecce, occurrit illi mulier in ornatu meretriceo, præparata ad decipiendas animas, garrula, vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis, nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, &c. De rebus, inquam, loquor per terminos significatis, non de nudis vocibus, sicut & divus Marsilius fecit, fons origo, & autor nostri gymnasii, qui laboravit, & nos in labores ejus introivimus. Qualis hic fuerit, cujus vitæ, cujus doctrinæ, liquido constare poterit ex oratione funebri, in exequiis ejus palam habita ab optimo & præstanti sacræ paginæ professore, indubie non more Italico, sed servata Germanica & Theologica veritate ac integritate.

AMOREM DEI QVIETVM, & mulierum irrequietum, longe inter se differre, in id Vergilii.

Sævus amor magno & curarum fluctuat æstu.

PHI-

PHILIPPI BEROALDI Cupido.

VT sine febre dolet, sine morbo languet amator,
Vt somni vigiles, irrequieta quies:
Vt rubet, ut pallet subito, mutatque colores,
Sive pudor vexet pectora, sive timor.
Nunc scio ut infractæ voces, mutilataque verba:
Vt coram domina cor salit atque tremit.
Vt quam longa gravi suspiria corde trahuntur,
Vt modicus risus, multus amaror inest.
Vt gaudet læta, plorat plorante puella,
Induit & vultus vultibus alterius.
Nunc scio ut infœlix dominæ vestigia quærit,
Et reperisse timet, mobilitate levis.
Genua labant, quotiens fastosæ limen amicæ
Transit, & in toto corpore membra tremunt.
Nunc scio quãtus amor supra caput instet amantũ,
Atque omnem sophiam consiliumque fuget.
Condita quam parvo sint larga absynthia melle,
Lurida vel quantum pocula fellis habent.

PRo quæstionis decisione notatu dignum existimavi, quod longe differunt amor Dei & mulierum. Nam amor Dei quietus, amor vero mulierum est inquietus: amor Dei mundus, amor mulierum est immundus: amor Dei facit filios Dei, amor mulierum facit filios diaboli: Amor Dei facit prudentes, amor mulierum facit fatuos: amor Dei facit homines Angelis similes, amor vero mulierum bestiis irrationabili-

bus pares, imo vero & asinos & porcos amor Dei compatitur, & congaudet de reliquorum amore similiter Deum diligentium. Quisquis enim Deum amat, gaudet & lætatur de hoc, quod à cæteris quoque Deus diligatur, & quanto plures, tanto vehementior est amor. Per contrarium amans mulierculam, moleste fert & contristatur, si alii amare eam tentent, juxta illud Poëtæ: *Dum canis os rodit, socium quem diligit odit.* Ratio autem istius esse potest, quia Deus est verum lumen, & verus fons vitæ, qui autem habet copiam luminis, eam assidentibus similiter favet, & unum lumen, multis apud ipsum videntibus sufficere potest: pariformiter idem fons, multorum sitim extinguere potest. Sed amans mulierem, non amat fontem, sed paludem, non amat lucem, sed tenebras, & revera tenebrosum locum. Facit l. foramen. & l. caminum rubiginosum. §. longum, latum, profundum. C. de stipulatione inutili. l. si quis. §. non nunquam. ff. de ventre inspiciendo. l. unica. C. de cloac. facit etiam l. interdum. §. reperiuntur. ff. de locis & itineribus publicis. Per hoc volo quæstioni satisfactum esse, hoc adjecto, quod Cyrus apud Xenophontem ostendit: Amorem igne esse longe potentiorem, quod ignis urit homines tangentes, at amor formæ eos etiam accen-

accendit, qui procul ſpectant, in tantum, ut ardenter æſtuent.

AMATOREM INQVIETVM, INſtabilem, & ad omnia paſſionatum, nunc muſicis, nunc choreis, quo amicæ placeat, in hora mille mutabilitatibus deditum. De quo ſub nomine Galli in hæc Vergilius.

IAm mihi per rupes videor lucoſque ſonanteis
Ire, libet, Partho torquere Cydonia cornu
Spicula: tanquam hæc ſit noſtri medicina furoris:
Aut Deus ille malis hominum miteſcere diſcat.

Quod amor mulierum faciat hominem inquietum & paſſionibus plenum, perpulchre oſtendit Plautus in Mereatore, dicens: In amore hæc inſunt: Cura, ægritudo, inſomnium, ærumna, error, terror, fuga, inepta lætitia, temeritas, excors immodeſtia, petulantia, cupiditas malevolentia, deſidia, injuria, inopia, contumelia, diſpendium, multiloquinm, pauciloquium. Et alludit Herman. Buſchius dicens:

Neſcio quid ſit amor, quā vos male perdit amātes:
Flamma furens venus, morbus & error hebes,
Eſt levitas, vulnus, dementia, cura, venenum.
Acre malum, languor, ſervitiumque nocens,
Fel, labor, anxietas, infamia, pœna, tyrannus,
Arcus & eſt telum, perpetuumque jugum.

Qui amat, miſere perdite, afflictimque formam fulgentem, mores & animum mutat, ut tandem carnis ardorem expleat. Cum id aliter non poteſt, ſuam mulieri fidem ſe-

ſeque conjugem dedit: hæc caro heus nimium care emitur, parvi momentuli voluptatem eandem jam multis doloribus reprehenſam: cui jam omnis vita ſupplicium eſt. Tanto enim jam miſerabilius ſimul vivere incipiunt, quanto ab invicem minus liceat ſeparari. Quid enim triſtius eſt quam hos ſemper jungi debere, qui animo convenire non poſſunt. Quid quod durius, quam nunquam diſcordem ſocium, vel rectius hoſtem dixero, habere ſeparatum? His uxor, ut claro quaſi in ſpeculo videtur, nihil boni nilque placiti factura eſt, niſi cum ipſa morietur, unde ejus rei dolor exuendus, qui jam emendari nequit. Nam ſuperi omnes, & ſi omnia conſilia ſua in unum congeſſerint, non efficient, quod factum ſit infectum. Nihil in juventutem cadit ipſo amore delirius, nihil cæcius, nihil periculo plenius. Errat omnis amans atque nil recte operatur, & ſe & omnia neſcit. Multos perdidit amor variiſque languoribus afflixit.

DE MODO EPISTOLANDI CANcellariæ Aſineitatis congruo.

TRadidit quoque eis modum epiſtolandi, & propoſuit eis ſæpe exemplar à ſe compoſitum, quod imitarentur. Inter cæteras autem ſuas epiſtolas, ſic unam eis ad pa-

patriam recitavit, quam ipſe per ſe cuidam adoleſcenti miſiſſe gloriabatur. *Magiſter Petrus Zepffel, alias* Hiltbrand, *pro nunc didaſcalon in Eccleſia collegiato ſancti Syſridi Metenſi, diſcreti nec non ſcientifico juventute Alexius de Mentz, amico maximiſſime adamato.* Salutem meam apertam. Dilecte ſocie chariſſime, ego mitto te ſcire, quod ego nuper inſteti pro uno gubernamine, & ex Dei gratia factus ſum ſcholirega Eccleſiæ collegiatæ ſancti Syſridi Metenſi, & bene ſto, quia habeo multum ſcholares, & parvus & magnus, pauperes cum divitis, ego vellem quod tu veneris apud nos, quia poſſes mecum multum prodeſſe, ego vellem ſingulariter reſpectum apud te habere, & vellem te diſcere caſualia & temporalia, & tu poſſes etiam à me docere facere verſos, quia incepi nuperrime tertiam pars Alexandri, & ſum à primum ibi diſtinxere pedes. Diſcipuli mei jam ſciunt fabricare verſos: Vnus heri apportat mihi unum bonum ſcilicet: O intemerata mons ſuper ſydera fervet. Item alter: Iorius ſtiſſus eſt presbyteri clepores. Item tertius unum pulchrum epitaphium ad ſepulchrum lapidem: Ioannes eſt mors, quod fecit mihi væ, orate pro ſibi, Deus habet ſuum anima. Sin autem non eſt luxurioſus, id eſt, liſtig, adverſos, ſed etiam ad porſos dictaminas, ego propoſui eis mo-

dum dictandi, ex quo statim erunt facere epistolas. Cum hoc occupo me cum eis apud Oratoribus & Poëtis. Lexi enim hucusque Vergilium super Lucam, Ciceronem super Marcum, Quintilianum super Ioannem, Plautum de beata Virgine, & Horatium de S. Catharina. Et lego eis multum bona circa impedimentas Alexandri, semper super duos versos viginti quatuor arguitur. Et modos significandi Ioannis de Garlandria, in quibus mei discipuli multum crescaverunt, sic & tu posses in brevi crescare super omnes socios tuos, etiamsi solveret eis collum eorum. Et eris scribere unam pulchram literam ad avunculum tuum Dominum Ioannes Lappenhäuser/ plebanus in Weißloch. Et eris ei persuadere, quod te mittat semel trahere ad unam altam scholam, sicut & ego steti in Universitate Getschwellensi. Valete foelicis. Datum raptum Basileæ, secundo Kal. Martialis. Anno Christo mille quadringento nongentesimo nono.

Item legit eis parva naturalia, & inter cætera pronunciavit eis ad pœnam: Sic advertate, quod vinum est triplicis natura. Prima facit bonum sanguis. Secundo facit corda lætia. Tertio projicit rusticus ad merdum.

CON-

CONFVTATIO IN LVDIMAGI-
ſtros literarum ignaros.

SEd diceres, quare tam indoctum præceptorem puerorum Canonici in ſuis ſcholis ſuſtinuerunt? Reſponſio: quia bonam habuit vocem, & pulchros flavoſque capillos, & ſciebat optime ludere in lutinis, potuitque canonicis & ſuis concubinis facere ſolatia, in domo, in menſa, in camera, ante domum, ſcilicet hofieren / & præcipue in carniſprivio in hoſpitum præſentia. Cæterum gratus etiam fuit, & dilectus famulabus & concubinis canonicorum: quæ quidem concubinæ magnam habebant poteſtatem apud dominos ſuos, & poterant efficaciter intercedere pro aliquo ludimagiſtro, qui eis placuiſſet. De tali tantaque concubinarum autoritate audietis ex collaterali meo. Ille, inquam, rector ſcholarum, ut habent annales Baſilienſium, deditus fuit amori mulierum, ideo etiam indoctus, ut auditum eſt. Cæpit amare puellam famulam piſtoris, in S. Ioannis Gaſſen/ quæ fuit virgo poſt quartum, frequenter nocte ad eam aſcendit, per acervos lignorum, quæ ante ejus cubiculum copioſe fuerant collocata. Piſtor qui & ipſe oculos in famulam conjecerat, habuit enim uxorem vetulam & rugoſam, conſiderabat ne-

neſcio quos ſtrepitus in domo fieri nocturnos, arripuit gladium, ad cameram famulæ properat: Rector ſcholarum vigilans, & metu plenus, non parvi pendebat inſultus piſtoris, per valvam deſcendit, ſequitur piſtor, fugit ille, nec prorſus evadere ſe poſſe timens, in angulo & in acie domus ad haram, id eſt, ad ſtabulum porcorum introivit, inter porcos ſe collocans: cum piſtor anhelans ſequeretur,& in diverticulo neminem videret, & ipſe quoque ad ſtabulum acceſſit indignabundus: quæritans, quinam in ſtabulo latitaret?Reſpondit fatuus amator: Es iſt niemand hie/ dann wir armen Säw. Piſtor arbitratus legionem dæmonum (de qua in Euangelio Lucæ 1.) porcos ſuos intraſſe, mox anxius domum revertitur. Sic autem rector puerorum ex amatore porcus factus, cum porcis in ſtabulo porcorum porcinam vitam finivit.

AMOREM TVRPEM, ODII, *Iræ, belli, poſtremo vero, quod omnium graviſſimum, homicidii ſæpius miniſtrare fomitem, de quo in hæc Vergilius.*

Perdidit horrendo Trojam Venus improba bello,
Et Lapithas bello perdis Iacche gravi.

BA-

BAPTISTA QVOQVE MANTVA-nus ita cecinit Ecloga prima.

Lvdit amor sensus, oculos præstringit, & aufert
Libertatem animi, & mira nos fascinat arte:
Credo aliquis dæmon subiens præcordia flammam
Continet, & raptam tollit de cardine menti.
Nec Deus, ut perhibēt, amor est, sed amator & error.

Et ut multa paucis comprehendam: Amor mulierum Deum offendit, Angelos contristat, dæmones lætificat, hominem excæcat, rationem enervat, visum obnubilat, memoriam debilitat, fantasiam lacerat, marsupium evacuat, infamat, vilem, abjectum, & inconstantem facit, anxium & sollicitum omni tempore reddit, podagram, chiragram, erraticam & vertiginem generat. Amator mulierum nihil honestum, nihil divinum, nihil spirituale, sapidum aut dulce putat: & etiam sola caro, sola libido, sola præsentia scorti ei jucunda est. Amator indevotus est, gelidus est, aridus est, frigidus est, orare non potest, studere non potest, sacris intendere negligit, ecclesiam propter Deum non intrat, ut rem scilicet divinam videat aut verbum Dei audiat, imo ingressus templum sermonis tempore, omnem populum bis, ter, quater circuit, si suam videre possit: sed est idololatra, idololatriam enim commit, titquoniam idolū colit,

lit, propter idolum ad templa festinat, ingressus oculos circumgirat, si forte idolum suum videat, ingrediens, manens, & exiens, signum ei aliquod præstat: non bene dormit, non bene comedit, comedens non nutritur sed corpus extenuat, irascitur, litigat, frequens bellum crebra pace concludit & vix uno momento in eodem proposito manet, inconstans, fluctuans, raro lætus, sæpe mœstus, semper varius; Vniformis, nunquam meretricum nefarias artes, & inenodabiles laqueos videt, Sirenum blanditias, & viscum malæ voluntatis non sentit, naufragium suum non percipit. Si quando atrociter minatur iratus secum cogitat: Egone illam? quæ illum? quæ me? quæ non, sine modo, mori me malim, sentiet quam vir sim. Hæc verba, una mehercle falsa lachrymula (quam oculos terendo misere vix vi expresserit) restinguet, & se ultro accusabit, & dedit ei ultro supplicium. Hoc sciebat Plautina anus in Asinaria, quæ tumidum & minacem adolescentem sic alloquitur: Fixus est hic apud nos animus tuus clavo Cupidinis, remigio veloque quantum poteris festina & fuge, quam magis te in altum capescis, tam æstus te in portum referet. Amor anxia res est, credula, timida, sollicita, omnia circumspiciens, vana & secura formidans. Amor est fœda servitus, & in-

injusta, moræ impatiens. Amans est suspiciosus, est contentiosus, est fantasticus: cum alii inter prandendum lætantur, nova referunt, scommata tractant, gaudent, delectantur; ipse solus animum habet apud meretriculam, in convivio se esse nescit, cogitat, meditatur, animo revolvit suam amasiam, & arbitratur eam quoque jam sui esse memorem, quia gaudet gaudio imaginario, cum jam forsitan ipsa sit in curia plebani, in stabulo equorum, in cella monachi, ubi alium habet cibum manducare. Amator cæcum habet judicium, quoniam infidelem judicat fidelem, deformem judicat pulchram, fallacem judicat veracem, fœtidam judicat bene redolentem, stercoribus plenam judicat reliquiis refertam, stercus & lutum judicat esse margaritam vel balsamum. Iudicat esse sibi proprium, quod vult esse appellativæ qualitatis, id est, commune multorum. Amator meretricis hic in terris quodammodo in inferno constitutus est, quoniam est in igne, quia amor ignis est, est in æstu, est in fletu, est in stridore, est in sudore, est in timore, est in angustiis, est in tenebris, est in suspiriis, est in miseriis, est in dolore sine remedio, est in vinculis sine solutione, est in mala & perversa voluntate, est in aversione Dei, est in Lethæo fluvio infernali, quoniam majestatis divinæ, & omnium benefi-

neficiorum Iesu Christi oblitus est, est in Phlegethonte, quia in ardore irarum & cupiditatum, est in Acheronte, quoniam in tristitia, est in Cocyto, quoniam in luctu & lacrymis, est in Styge, quoniam in gurgite odiorum, ita ut cum Psalmista vere dicere possit: Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni invenerunt. Tribulationem & dolorem inveni, & nomen Domini invocavi, in quarta quinquagena Psalm. 119. Hujusmodi etiam miseria amatorum & conditiones, quas etiam amasiæ suæ eis ex cognominibus adscribunt, currendo per Alphabetum, ut, Aff / Brezmaul / Clotz / Dillapp / &c.

Cognoscant igitur amatores quales diligant, in quas suum amorem, corpus & substantiam, cum animarum periculo expendant. Hæc optimi & præstantissimi patres, propter nostros adolescentulos, & optimos ephebos adduxi, ne innocentem suam adolescentiam, ingenium, memoriam, vires animæ, vires corporis, pulchritudinem, ne dona Dei, patrimonium, sudores parentum, nobile tempus, omnem laborem, omnem conatum suum tradant, subjiciant, offerant, dedant meretrici: quæ qualis sit alphabeticæ literæ indicant secundum ordinem.

FINIS.

